Corregg. de Epigrammate

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS ORATIONES.

Quarum indicem uersa pagina continet.



PAPIÆ.
APVD FRANCISCVM MOSCHENIVM,
CAL. DECEMBRIS.
M. D. LII.

QVÆ HOC OPERE HABENTVR.

MARCVS ANTONIVS NATTA MARCO BARBAVARO
Cæſarei Senatus Mediolani Præſidi Clariſſimo. S. P. D.

DECREVERAM Iam dudum orationes nõnullas uarijs tẽporibus exaratas uno collectas uolumine Philippo Sacco Senatus ueſtri Præſidi mittere, tum ut obſeruantiam meam erga illum qualicunq; hoc munuſculo declararem, tũ quia, quum his ſcriptis multa ſint intexta, quæ ad Iuriſconſultos pertineant, meritò ad eum, qui Iuriſconſultus eſſet maximus, & ampliſſimis eiuſdem ordinis uiris præſideret, labores hos noſtros peruenire poſſe arbitrarer. Dum in hac eſſem cogitatione, effecit conditio temporũ, uel (ut uerius loquar) cunctatio naturæ meæ inſita, ut rem differrem. Interea Philippus ipſe ab humanis deceſſit: cuius uiri occaſus, etſi bonis omnibus grauis & luctuoſus fuit, mihi tamen præter cæteros non mediocrem mœrorem inflixit, quòd & tali amico orbatus fueram, & is mihi ereptus erat, quem laborum & uigiliarum mearum patronum adoptauerã. Suſtuli deinceps animos ut primum te illi ſuffectum accepi, quoniam exiſtimare cœpi poſſe me meo iure, quod illi deſtinaueram, in te transferre: nam etſi tibi nõ æquè co-

gnitus sum, idē tamen mihi uideris, siue honoris successionem specto, siue pares animi dotes: nō enim si corpus mutatum est, ideo reliqua non inueniuntur simillima, quin potius illud de ramo Virgilianū uidetur contigisse: Vno auulso non deficit alter Aureus, et simili frondescit uirga metallo. Et causam quidem habes, cur ad te libellum hunc destinarim. Peto autem ut deducens aliquid temporis de maximis tuis occupationibus, oculos huc paulisper inflectas: breuia sunt etenim scripta, & (ut opinor) satis etiā dilucida. Vitæ nostræ officia plures ad se trahunt solicitudines: danda est opera amicis, affinibus, patriæ, ciuibus, corpori, sed uarijs agitamur tunc motionum fluctibus, huc illuc iactamur: mens autem ubi sola secum cōsistit, tunc fruitur se ipsa, & alitur quodammodo, quod contingit ubi uertitur in magnarū inquisitione rerum, & ingenuas tractat disciplinas, quæ, quòd homine dignissimæ sunt, humanitatis studia nuncupantur. Nihil his uita habet prius, nihil quod honestius exerceat, aut iucundius. Itaque quodcunque uacuum mihi datur tempus a negotijs (uellem autem dari quamplurimum) in hæc studia libentissimè cōfero. Gaudeo hoc iudicio meo multò magis, qđ ea tu quoq; diceris peramare. Neq; uerò hoc tu solo magnus: aliæ te circunstant amplissimæ uirtutes, quas non difficile foret commemorare, sed eas prætereo, ut cūctis notissimas, nam de his constans est fama, & honores tui,

quibus

quibus ipse semper honori fuisti, latere eas non patiuntur. Neq; tamē fit, quin uideam consuetudinē scriptorū penè omninm, qui summis celebrant eos laudibus, quibus scripta sua nuncupant. Ego mallem non laudare te coram, sed ut dem aliquid consuetudini, hac te pulcherrima laude orno, quòd eam possides modestiā, quæ hæc blanda uerborū le nocinia: et tale aurium aucupiū aspernatur. Itaq; ad orationes redeo, quas exercitationis causa scripsi: nullā enim earum dixi, præter sextam, nam quintam paraueram, ut recitarem in Ticinensi gymnasio, quum honestissimo Senatus uestri iudicio uocatus eò essem ad Iuris Pōtificij interpretationem, idq; iā itineri accinctus opere implessem, nisi me ab illo munere Illustriss. Mantuæ Principes, alio oblato honore reuocassēt, quibus necesse fuit parere: scimus enim Dominorum preces præcepti uice constare. Et quamuis mihi opera illa interpretandi perierit fortuito ueluti casu intercepta, non tamen passus sum foetū illius meæ cogitationis idest orationē ipsam pariter concidere, sed extare uolui, & cæterarū chorum augere. Quædam ex eis prædicat laudes Iasonis Maini, qua plrimū credo delectabere, quòd is & ciuis tuus fuit, et sub eo forsitā discipulus militasti. Tulit ciuitas uestra tempestate nostra duos Iuriscōsultos nobilissimos, quibus nemo, ut opinor, se æquauerit, Iasonem hunc, de quo loquor: alterum Philippum Decium, de quo dicere possum, quod Spintharus de

Epaminonda, neminē uidiſſe, qui plura ſciret, et pauciora loqueretur. Multus orationes has labor, multa formauit opera: efficere conatus ſum, ut quamoptimè loquerentur, ueteres æmulari conatus, de quorũ eloquentia in ipſo operis ueſtibulo præfatus ſum. Sed num id, quod contendebã, præſtare potuerim, nõ eſt mea exiſtimatio, ſed tua et aliorum, qui legent, ſi qui tamen legent, & lecturos nõnullos ſuſpicor, uel ex eo potiſsimum, quòd in ipſa operis fronte gratiſsimum & clariſsimum nomen tuum præluceat. Plurima forſitan in hoc opere mutare & refingere oportebat: aliquid alicubi detrahendum, alibi addendum, quorũ utrunq; oratoris accidit uitio materiam nõ implentis, uel excedentis. difficile eſt autē omni in re quod inter utrunq; eſt tenere: ueluti circulũ deſcribere cuiuslibet eſt hominis, ſed non cuiuslibet medium in circulo notare locum. Hæc et alia peccata, ſi quis mihi aſcripſerit, ferre paratus: nõ enim mihi aliquid indulgeo, neque quicq; meorum miror, neq; in dicendi facultate cuiq; præfero, neq; ſi aliquid eorum, quæ ſcripſi, tanq; ab optimis diſciplinis profectũ, meritò laudari queat ſcio: unum excipio conatum ad ipſas diſciplinas, nam hunc laudabilem fore iudico. Verũtamen ſcripta ipſa, qualiacunq; ſunt, tibi miſi primò equidem cunctanter, deinde intuitu humanitatis tuæ liberius, poſtremò iam audacter, poſtq; iam mihi perſuaſeram pectus tuum diuino ſpiritu afflari, hoc enim præſente animum dantis

magis

magis, quàm datũ emetiens, perinde paruo gaudebis, ac magno munere. Sic etenim Deus ipse non pretia oblatorum, sed supplicantium mentes magis inquirit, respicitque prius quod prompta manu, quàm quod plena datur. Summatim autem hoc sic habet. Offero tenui in re diuitem uoluntatem. Vberiore te dono prosecutus fuissem, si uberiore ingenij uena Natura artifex me quoque affluere uoluisset. Vale.

ALBERTI CARRETTI EX MARCHIONIBUS SAVONÆ.

ELoquio quicunque graui nitidoque teneris,
Inspice facundo Natta quod ore dedit:
Nempe suas Pitho hic uires latè explicat omnes,
Fundit & immensas, uastus ut amnis, opes.
Hunc genuit natura, dolens quòd tempore tanto
Dicendi in solo laus Cicerone fuit.

STEPHANI GUATII CASALENSIS E MONTEFERRATO.

QVI ueterum meritò uersas monumenta uirorum,
Hæc quoque non illis inferiora cape.
Æmula scripta leges, posuit facundia Marci
Tempore quæ paruo, sed repetenda diu.
Hic mirè effulget dicentis gratia, rerum
Congerie grauium, iudicijque sale.
Romulidum laudat leges, mox funera mœstus
Deflet, & hinc iusti Martis ad arma uocat.
Differit ornatè, distinctè Marcus, & aptè
Differit, eloquij Marcus ut ille pater.
Quid moror? ardebis penetralia uisere cuncta,
Vt primum intuleris Lector amice pedem.

ARGVMENTVM ORATIONVM EX AVCTORE.

ETSI Ex ipsis orationum titulis percipi potest quid illæ ferant: attamen, quoniam fortasse rem latius exponi, & de singulis planius audire uultis, ne id quoq; munus deseram. Ego Iurisconsultorum industriæ & gloriæ fauere cupiens commotus sum, ut priores has orationes scriberem, nec scriberem modò, sed ederem quoque: meritò nanque is ordo, per quem ipse honestus essem, literis nostris commendandus fuit. His attexuimus orationes alias, quæ, etsi dissimili sunt argumento, simili tamen stylo deductæ fuerunt. PRIMA Oratio quid ad Iuris Ciuilis studia impulerit, & quæ eorundem studiorum cura fuerit & exercitatio aperit: deinde Iurisconsultorum amplitudinem & dignitatem commemorat. PROXIMA Auctoritas Collegij ornatur: & Iurisconsultorum defensio aduersus obtrectatores suscipitur. TERTIA Disputationem in Iure Ciuili aduersus communia præcepta tendentem armauit: illic enim doceo non auctoritatibus, sed rationibus cuncta diffiniri oportere. Et quæ disputationum ipsarum utilitas sit omnino non prætereo. QVARTA Iasonem celebrans, quales legitimi Iurisconsulti sint partes scire cupientibus expresit. QVINTA Legum originem, finem, actionem ostendit: Ius ciuile Romanorum, & Pontificium multis commendat: exhortationem suscipit ad scholasticos, ut non aliam sequantur uoluptatem, quàm eam, quæ de studiorum tractatione percipitur. SEXTA Exemplum designat magistratus bene gerendi: laudat Antonium, & Hieronymum Adurnos illius ciuitatis principes: de direptione militari uerba facit, admonens ab hominibus humanè ferendam. SEPTIMA Funebris est, laudatur Ioannes Rotarius, & in eo optimi ciuis persona describitur. VLTIMA Populum hortatur Christianum, ut collatis armis Græciam & Hierosolymam de Turcarum eripiant manu, & Christi reddant imperio, sicut æquū est fideles infidelibus dominari, & non meliores deterioribus parere: grauis sane & excelsa materia, quam utcunq; implere conati sumus. Quum de procemio quærerem tanquam de uestibulo operis, nihil sanè inueniebam, nisi quòd tandem obtulit se mihi eloquentia. Obtulit autem quia par erat scriptis nostris illam adesse, & adesse cupiebam. Huius igitur de studijs, ut potui, præfatus sum.

MARCI ANTONII NATTAE ASTENSIS IN ORATIONES SVAS PROEMIVM.

CVM Eloquentiæ ſtudia a ſummis viris expetita fuerint, tum a veteribus aucta fuiſſe illa & perfecta videmus, quos cõſtat ad eam rem plurima ſubſidia, inuitamentáq; habuiſſe. Etenim qui agebant cauſas oratores, incredibile eſt quantum ſibi opum, gratiæ, potentiæ compararent. Nihil pulchrius, aut admirabilius videbatur, quàm populum concionibus tenere, & bonitate patrij ſermonis audientium clamores concitare. Magno erant in honore Rhetores: ad hos adoleſcentes confluebant, ab his diutiſſimè exercebãtur, ab ijſdẽ artis præcepta accipiebant, nec parum proficiebat ad bene dicendum viuum ac ſpirans maiorum natu exemplar, nec mediocre erat calcar æqualium æmulatio. Nihil illi ſcriptorum edebant, niſi quod anteà concilio eruditorum indicio recitaſſent, niſi quod plurimis corrigendum tranſmiſiſſent. Quæ omnia iſtis temporibus exigua, atq; adeo nulla ſunt, vt omni dicendi ratione neglecta, hæc ętas vix quicquam egregium cudere poſſe videatur. Verum tamen ſi quis laborum aſſiduitate, vel neſcio cuius naturæ bonitate veram illam eloquentiæ ſpetiem arripuerit, maximam, & ſtabilem gloriam conſequetur omnium latinè intelligentium iudicio excitatam, cum tanta nunc ſit præſertim inopia diſertorum. Nam ſi in poſtremis artibus homines huiuſce ſæculi rectè queunt iudicare, quid facient in prioribus, quarum illuſtrior eſt conſpectus? Ergo pictor placebit, qui penicillo formarum pulchritudinem expreſſerit, ille prudens vir, qui eruditas cogitationes ſcribendo explicabit, relinquetur? & vllam magis oculorum iocunditatem homines, quàm animi ornamenta requirent?

Quantam igitur præstantiam miramur eorum, qui facultate orationis, qua præstamus beluis, ipsi cæteros homines superarunt? Hi sunt, qui Reip. administrationem sibi proponentes eloquentia freti ciuium suorum mentes ad decus, ad iustitiam, ad honestatem oratione transtulerunt, hos præclarissima fama comitatur, vi enim cogere etiã si possis inhumanũ est, & odiosum: at quisquis hominũ allicit voluntates grauitate & suauitate dicendi, subigitq; veluti cãtus captos dulcedine, vt optima quæq; sponte complectantur, is magnus, & salutaris ciuis habetur, nec id paruum cõmodum, quòd ea res nõ aliis administratur copiis, sed se ipso solo vtitur orator. Quid de illis dicemus, qui quoniam Ciuilium negociorum fluctus extimuerãt, adducti sunt, vt in aliquod studium traderẽt se quietum? hos profecto viros haud scio, an magis etiam comprobemus. Enimuero naturam rerum, quam mentis acie perlustrarant, tam enucleatè literis suis expresserunt, vt admirabile quandoq; sit de obscuris tam dilucida, de abditis tam aperta potuisse proferri. De vnico rerum principio, de cœlo, de sideribus, de elementis eorum elucebat oratio. Quæ terrarũ ora, qui gentium ritus, quæ animantium figura, quæ species arborum, stirpium, herbarum, florum, lapidum, marmoris, gemmarum, metallorum non ab illis scribendo depicta fuit? Sed nec defuere qui Regum, & populorum gesta complecterentur, & antecedentium sæculorum memoriam per se conseruatam in omnem posteritatem propagarent. Fœlicia certè sæcula, quæ tunc eorum ingenio effloruerunt. Nunc quoniam fato suo functi cum immortali nominis memoria exemplum bene dicendi posteris reliquerunt, vnum quenq; liberaliter institutum deceret æmulum fieri studiorum, imprimisq; curam habere elocutionis bonæ, quæ & si sapienti meditatione posterior sit ordine, vim tamẽ obtinet, & potentiam priorem. Omnis enim humana meditatio sit veluti gladius vagina tectus, nisi offitium oris adiungatur, per quod meditata nudantur,

& in vſus hominum proferuntur. Siue enim conſilia explicare libeat in maximarum rerum deliberationibus, ſeu ab errore reuocare, ſiue impellere ad virtutem, ſeu vitia frangere accuſando; ſeu mœrorem ſedare conſolando, ſeu geſtum quoddam explicare, vel aliud quippiam ad artium pertinẽs facultatem oſtẽdere, nihil horum alia efficitur re, quàm ſermonibus, qui fundi non debent temere, aut fortuitò, ſed diſtinctè, argutè, copioſe. Tum ea ſententiarum præſto eſſe debet dignitas, & id verborum lumẽ ſuccedere, vt nihil vulgo ſpectetur libentius, nihil intentiore ſtudio audiatur. Ad militem pertinet ferro ſe tegere in pugna: docti autem homines, quoniam verborum pugnant inſtrumẽto, ideo eorum fuerit eloquentia pectus armare. Difficile fateor fuerit dicendi gloriam veterum æquare, attamẽ quoniam nulla fere hominibus ſponte ſua proueniunt: ſed non parum ſit, ſi res experiendo ſuccedat, ideo par eſt dicendi exercitationes ſuſcipere, & periculum ingenij facere, & ad optima quæq; nixu omni ſe conuertere. Multi cupiditate incitantur parandi diuitias, hinc omnes obeunt terras, omnia maria, gaudentes penè laboribus, & periculis, adeò nihil intentatũ relinquũt. Sed non deterior eſſe cura debet liberalium diſciplinarum, imo longè præſtantior: quandoquidem iſta non difficilius opibus comparantur, & honeſtiora ſunt. Nam neq; Rebuspub. magis glorioſum, atq; adeo magis vtile auro atq; argento ciues, quàm bonis artibus ditari: nec verum eſt humanos animos aduẽtitio melius, quàm ꝓprio, & inſito eniteſcere ornamento. Quanquã autem ſubſidia illa plurima veterũ deſint ad ſtudia bene dicendi, tamen quoniam oĩum caput eſt cura, & diligentia, arbitror his adhibitis fieri poſſe, vt tale texatur opus, qđ non modo cũ hoc ſæculo, verũ cum omni vetuſtate cõmittatur. Et hæc quidẽ exhortandi cauſa dicta ſint breuiter. Cæterũ ne tantũ modo exhortari videar, ipſe ſcilicet nihil curans eorũ, Orationes nonnullas profero, quæ ſtudiũ dicendi meum cunctis apertius indicabunt.

M. ANTONII N.
PRO INGRESSV ORDINIS.
ORATIO PRIMA.

MORE, & consuetudine traditum est, Patres amplissimi, vt ii, qui vestris suffragiis idonei visi sunt, quibus Iurisconsultorum dignitas mandetur, eam habeant orationem, qua pro vestris beneficiis gratias agant quam amplissimè possint, simul etiam de se ipsis aliqua dicant, propter quæ non indigni hoc honoris gradu fuisse videantur. Mihi quoq; certum est per hæc eadem ire dicendo, ne sine certa causa à cæterorum consuetudine defecisse videar: Etenim humani animi esse puto, beneficia vestra, quæ sunt maxima, agendis gratiis commemorare, & prudentis, velle videri aliquibus, aut naturæ, aut fortunæ bonis ad hæc tanta peruenisse. Verùm istis de rebus quomodo mihi eloquēdum sit, iam ante constituendū est. Nam vobis pro vestro præclaro in me beneficio gratias cumulatè acturum esse dicendo diffido. Itaq; oratione, qua mihi breuiter vtendum statuo, vobis non satisfaciam, sed animo, vt spero, qui beneficii vestri amplitudinem pergratè agnoscit. Illud verò alterū orationis genus de se ipso dicendi, quod longius esse oportet, lubricum videtur, & periculosum: efferuntur enim persæpe homines immoderatione verborum, nec facile quenquam reperies, qui non se, ac suos infinitis laudibus extollat, proptcrea quòd nemo est, qui non velit se maximum esse, nec solū esse, sed videri, & vt videantur, de se multa & magna prædicant: ii autē, apud quos dicas, nihil minus patiuntur. Quod si ego de me amplè, & elatè loquerer, tamen ne id nimis turpiter facere viderer, faceret ætas, cui inuidet nemo: quinimo desideratum est semper in adolescentibus, vt inesset feruor quidā mentis ad gloriam, vt quos propter ætatem ratio non satis acueret, eos cupiditas gloriæ ad virtutem incenderet. Quæ quum ita sint, attamen si quæ cogitatione animi ex-

pressi

pressi, imitatione verborum potero reddere, tãquam pictor optimus, qui exemplaria diligenter persequitur, nõ vereor, ne oratio mea non splendida potius, & grauis, quàm arrogãs, aut immodesta videatur: ut enim ingenii ornatè, ita pudoris esse statuo moderatè dicere. Nõ enim dicam de laude mea, sed de labore: nõ de ingenio, sed de studio: dicam quid voluerim, non quid potuerim: quid secutus, non quid consecutus sim: quid contenderim, non quid attenderim. Faciã igitur, vt cognoscatis quibus rebus impulsus mẽtem ad hæc studia applicuerim. Deinde quomodo in his me gesserim, quæ dum expedio, si repetere paulò altius videbor, non erit mirandum: nam re ab initio ducta, reliqua deinceps per se melius succedunt. A vobis autem peto, vt me, quemadmodum facere instituistis, benignè, attentéq; audiatis. Ego Patres amplissimi, quum ab ineunte ætate literis, & magistris traditus fuissem, infectúsq; essem tener his artibus, quibus ad humanitatem informari solemus, iam duodecimum annum egressus, cœpi me cõparare ad maiora: nam statim ad Iuris Ciuilis scientiam me cõtuli. Cur ad id potissimũ defluxerim, facilimum dictu est: nostis enim consuetudinem omnium, qui in qua re animaduertunt plurimos ex familia sua floruisse, in ea ipsi student excellere. Nam vt viliores artes omittã, & de his ingenuis loquar, videtis vt patrẽ, vel auum rhetorem habuerit qui sit rhetor, astrologũ qui astrologus, medicum qui medicus: vt non tales disciplina effecti, sed Ita a parentibus geniti videantur. Possem de reliquis artibus eodẽ modo dicere, sed non est necesse, genus ipsum videtis. Et ne hoc valere tantũ videatur in hac ratione viuendi, quæ quæstuosa videtur: legisse memini me in Romanarũ rerum monumentis fuisse Imperatorẽ nescio quem, qui pro exercitu suo se hostium telis deuouerit, victimãq; prębuerit. Idẽ deuotionis genus, & mortis multis post annis secutũ filium, deinceps nepotem, quod quisq; videt fecisse suos non turpiter, id se quoq; facere pulcherrimũ existimat: delectat enim,

ac mouet animos series illa, ac ordo, quum aliquid in eadē familia continenter permanet, quasi per manus traditum, ac relictum. Vt ad rem redeam, qui mihi abauus, atq; auus, patruusq; magnus fuerūt, in hac scientia plurimum floruere: recentiores erant tres patrui, qui eadem secuti erant, illustrésq; viri habebantur. Ipse pater, siue natura, siue voluntate, quum tantum Iurisconsultorum vna in domo videret, a literis alienus fuit, reliquis tamen virtutibus, quæ per se valent plurimū, iustitia, fide, liberalitate, animi magnitudine facile nobilitatem inter suos, & amplitudinem sibi relictam tuebatur. Mea fuit eadem ratio, quæ superiorum, vt omne ætatis tempus in literis consumerem, & his literis, quibus legum disciplina continetur: quarū quanta sit prꝭstantia, quantá ue vtilitas, quis ignorat? non modo vos, qui hoc vsu, tractandóq; cognoscitis: sed quiuis è populo perspicit sine legibus nullam Ciuitatem stare diutius posse. Ipsi illi primi homines, quum palantes antea, & fusi per agros ferarum ritu degerent, tamen vbi turmatim terrā colere cœperunt, non prius Vrbium domicilia muris, quàm vitæ societatem legibus vallarunt. Ipsa etiam populorū libertas non alio se magis, quàm legum obedientia tuetur: nec verò dici potest in quibusdam leges valere oportere, in aliis minimè, sed quemadmodum spiritum, & sanguinem per totum hominis corpus, sic vim legum per omnia Ciuitatis membra difusa esse oportet. Cum me maiorū exemplum, & rei ipsius splendor ad hęc capessēda vocassent, tum vel illud cōmouit maximè: Habebam enim tres frates, quorum duo mihi erant cognatione patrueles, reliquus germanus, quos ego tunc, qualescunq; erant, natura diligebam, nunc certè iudicio libentissimè diligo, quos video optimis artibus, & rectissimis studiis præditos: de quorum laude plura mihi dicenda non sunt, quòd tanta coniunctio sanguinis autoritate orationem meam spoliaret, simul & illud, quicquid in illis est (si modo est aliquid laude dignū) ipsi id magis æstimari quàm dici

uolunt:

volunt: ii anno ante me, quũ etiam paululum ætate præiſſent, iam ad hæc ſtudia ſe contulerant, quò ſe ad hominum ſermonem, famám que vendicarent: tum veluti ſtimulus quidam menti iniectus eſt, vt non ſolum honeſtum, ſed penè neceſſarium iudicarem cum maiorum virtutem imitari, tum propinquorum hominum induſtriam æmulari: effectum eſt igitur, vt qui illis ſanguine coniunctus eſſem, poſt ſocietate honeſtiſſimorum ſtudiorum, conſuetudine etiam victus, quòd iiſdem gymnaſiis, & magiſtris vtebamur, quã maximè coniunctiſſimus forem. Hoc loco mirér ne de fato neſcio quo, an de virtute (ſi qua fuit) quòd plures animæ vno vitæ, & doctrinæ filo regerentur: nam tam paria ſpectabantur in quatuor fratribus, vt iure cunctis vnus homo videri poſſemus. Nunc dicet quiſpiam quid ſit quòd Ego, & Fratres hanc ſcientiam tam auidè arripuerimus, quæ ſi remoueatur, tamen cum dignitate aliqua, & gratia vitam degere poſſimus rei familiaris facultatibus, plurimis amicitiis, & honeſtiſſimis cognationibus. Hæc afferunt dignitatis ſatis, ſed ſatis aliis, nobis certè parum, quorum maiores ſummo ſplendore in ciuitatibus ſuis vixerunt, qui in principum amicitiam ob virtutem recepti, multis opem, auxilium que tulére, qui & magiſtratus facilimè adepti ſunt, tum optimè, innocentiſſimé que geſſerunt. His rebus efficitur, vt vulgari genere vitæ ſatiſfacere hominibus non poſſimus. Amplius aliquid poſtulatur ab his, qui virtutum exempla, non foris, ſed domi petere debent, quí que naturæ ſimilitudine in bona paterna, atq; auita deduci videntur. Quantum enim intererat, vtrum hoc bonum Ciuilis ſcientiæ, quod in familia iſta continua adhuc ſerie ſemper extitiſſet, tanquam hæreditarium, negligentia noſtra extinctum, an virtute inſtauratum diceretur? quid fœdius, quàm domeſticæ laudi nõ reſpondentes degeneres exiſtimari? Nã, ſi nos inertiæ, languori, ſomnóq; dediſſemus, qui honores eſſent parati? quod nomen noſtri futurum? quod exemplũ poſteris relictũ?

Ergo maiores nostri per se nixi ascendissent, nos ab illis adiuti iacuissemus? illi mortui noti essent omnibus, nos viuos nemo nosceret? quod lumen illi nobis prætulerunt, id posteris nostris non redderemus? Rectè itaq; delegisse nos cõstat vitæ genus, quod sequeremur, quod sit ad honores, & laudẽ expeditum, & huic familiæ maximè accõmodatum: nondũ de fructu loquor, qui de ætate ista nõ decerpitur, ac ne expetitur quidem: satis est floris indolem tempestiuè ostendere. Nam maiores nostri, & si non mediocri virtutum copia amplissima quæque assequuti sunt, tamen hoc maximè literarũ genere domum istam extulerunt, patrimonium mediocre, nomen amplum nobis reliquerunt: Nos ijsdem vestigiis insistere voluimus, quibus illi, eodem quoque peruenturos esse credendum est. Quòd si antiquorum hominum animis datur de cœlo prospectus in terras, vnde migrauerunt, & superest illic sensus aliquis rerũ humanarum, vident profecto maiores nostri nos eorum sanguine procreatos suos iã fore aduersarios, tãquam colluctatores eiusdem laudis, quo in certamine nõ adeo æquo ferrent animo se vincere, sin autem victi fuerint, summopere gaudebunt, & gaudium quidem hoc nos illis efficere conãdum, quoniã & illi, nos vt gauderemus, effecerunt: nec desperandũ est quod petimus, si modo huius artis doctrina infixa fuerit animis perabunde. Verũ de Fratrum doctrina nõ habeo necesse dicere, quam illi optimè adepti sunt: omnibus enim tacentibus res ipsa loqtur. De mea autem quemadmodum dicam quæso attendite. EGO Patres, postquam in hanc studiorũ rationem ingressus sum, cœpi statim me totum libris tradere, quibus legum disciplina continetur. Nullæ vnquã voluptates, quæ natura adolescentiæ profunduntur, impeditum tenuerunt: ne somnus quidem (publica mortalium requies) retardauit: non epulas, iocos, conuiuia, muliebres formas attentius insequebar: non ludum deniquealiquem, oblectationémq; petebam, nisi quòd magna satis erat oblectatio literarum

ſcientia: tali ego ludo libentiſſimè exercebar. Hoc peragẽs existimabam me proprio hominis fungi munere. Nam, etsi inter homines, et beluas nulla penè communio intercedat, tamen vel hoc vno plurimum inter ſe diſiuncta ſunt, quòd beluæ totam animam demittunt ad ſenſus, nihil curant aliud, præter lenocinia voluptatum: hominis eſt autem animũ erigere, & quantum licet, ſuſpẽdere a corpore, inquirendo ſemper dignũ aliquid, & addiſcendo, ſicut ſe habent Sapientum monita, & præcepta, per quæ loqui Deum mortalibus arbitrabar. At non vno contigit manere loco: ſed ipſa literarum ſtudia, tanquam vaga, & fugientia, per diuerſa Gymnaſia perſequebar. Vera loquar. Magiſtros nactus ſum eos, qui ea vbertate ingenii leges veteres interpretantur, vt dignum foret eorum nomen inter legum conditores florere: horum equidem doctrinam ſtudioſè, vel auidè potius combibebam. Nempe audiebam illos vnà cum omnibus publico in conuentu docẽtes: ſed & priuatim cum paucis hærebam illorum lateri adoleſcentulus, vt ſua conſuetudine me redderent meliorem. Quærebam ignoratum quoddam, edocebant: nodos proponebam in quæſtionibus, diſſoluebant: errabam in argumentorum via, corrigebant: haud ignauè aliquid perſpexeram, collaudabant. Sed nec illud ingratum erat, cum ingenioſiſſimo & eruditiſſimo quoquo ex condiſcipulis congredi, ac penè manu concertare: hinc inter ipſas æqualium literarias palæſtras ingeniorum robur inualeſcebat, ibique vel gloria, ſi ſuperares, vel pudore, ſi ſuperatus eſſes, ſtudia ad diſcendum vehementius incitabantur. Maximè autem ille congreſſus præſtabat, ne quis putaret ſe ſcire quod neſciebat: ſic quæ ignorationis durior eſt pars, turgida opinione ſcientiæ, hæc inuicem nobis eripiebatur. Cohabitabamus ſæpe, vt fit, vnà plures communi ſumptu: at non qui plures pecunias, ſed qui meliores ſermones conferret, ſocietati plurimum auxiliari credebatur. Poſtquàm autẽ huc perueni, non occultabo fretus hu-

manitate vestra alias exercitationes meas: nã ad vesperã, anteꝗ somno me traderem, quæcunꝗ per diem videram, aut audiueram despectantibus ad ad horꝝ studiorꝝ facultatẽ, ea diligenter animo reuoluebã: deinde vnam, aut alterã legem proponens, hanc accusatorio modo exagitabam, & quòd absurda esset & inepta, rationibus introductis ostẽdere aggrediebar: mox vertens me ad alterã partem legem ipsã excusabam, contraria demoliebar, & legitimã fuisse sanctionem defendebã. Cum autem illa satis ruminassem, tunc electissima quæꝗ in literas mittebam, & cogitationibus tũ meis, tũ alienis stilum etiam addebam, hunc enim nonnulli magistrorꝝ meorꝝ valde extollebant, & secundum vocis oracula plurimum tribuebãt, & magistrum alterum esse dicebant. Huic igitur nõ parcens tabulis plurima cõmendabam, imo animo meo, tanꝗ illic depingerem potius, obseruans vnum quenꝗ diem, ne mihi sine linea præteriret. Ad hæc diuturnitatem tẽporis addidi: iam enim effluit, & euadit vndecimus annus ab illa die, qua ista meditari cœpi: nam vt plurimum discerem, & quod didicissem ipsa mòra fortius vt imprimeretur, optimum factu credidi, si qui primo adolescẽtiæ meæ tempore legum gymnasia ingressus fueram, vltimo exirem. Et hæc quidẽ dicta sint de studijs, & laboribus meis, ex quibus etiam quid optauerim assequi, manifestum esse potest. Quam ob rem quantum in me est finem, nostra suscepit oratio, nec ad aliud progredi cogito: iam qđ pollicitus sum ostẽdere expleui. Veruntamẽ est forsitan hic vnus aliquis ex hac multiplici astãtium corona elegans vir, & suauis, qui libenter interroget me, &, nisi vereatur temeritatis opinionẽ, procedens in medium dicat. Audiuimus quæ dicta sunt, & credimus, scilicet te laborasse plurimũ, & expetisse contrarium eius, quod patiebaris: patiebaris enim inanitatẽ Ciuilis scientiæ, & repletionem tibi fieri cupiebas: sed num id contigit? hoc enim scire volumus: nam voto, & labori non sæpe eventus respõdet, quid assequutus es? Huic, & aliis idẽ scire cupien

cupientibus, quia rectè interrogatio proposita videtur, ego quoque rectam responsionem tradere decreui. Non agā astutè, & insidiosè, neque mihi ascisco illam sapientiam, vt quod in me esse credam, id queam vllo modo dissimulare, quò eximiam modestię famā aucuper. Itaque ad id, quod de me quęritur, simpliciter respondebo. Ego studio, cura, diligentia, laboribus, vigiliisque meis egregiam quandam doctrinam nobili viro dignam consecutū puto. Nemini id dictum arrogans videri debet: quoniam nō dico quod in re est, sed quod in opinione mea: quòd si quis erit, qui me ita opinantem non solum arrogantem putet, verum etiam stultum, ab eo peto (quod me impetrare est æquissimum) ne velit leuitate orationis inuidiam aliquam in me cōcitare, sed constantia sermonis corrigere, vel si malit, accusare, non enim valde repugnabo me falsò assensisse, si verū me docuerit: id enim quod dico eiusmodi est, vt me valere aliquid nō sciam, sed opiner tantum: itaque videte quò descendam. Video multos in hunc Iurisconsultorum numerum se proiecisse, qui sunt fortasse illi viri quidē boni: attamen parum eruditi, & qui susceptū honorē doctrinæ munere non defendunt: hoc nihil mihi videtur turpius, quàm ignorare eas res, quarum scientiam nomine profitearis: vbi enim adsunt res, ibi adesse rerum conuenit nomina. Itaque quicunque ad se trahunt nomen artis, quā non tenent, iniquè faciunt, quia ad inanem sonū comparant sibi nomen, qd' ad rem significandam inuentum erat: ideo non modo gloriam, quam spectabant nō assequuntur, sed vulgo etiam malè audiunt: nam otiosos titulos, & vacua dignitatū nomina populus irridere solet. Quòd si Iurisconsul. honore indignus existimatur, qui doctrina abundans artem non exercet, quantò erit is indignior, qui doctrinæ paupertate nec exercere potest. Et, si Iurisconsultus non diceretur, qui libros ad scientiā necessarios nō haberet, quantò minus is diceretur, qui nec ipsam habet scientiam, quū libri alicūde sumi facile possint, scientia nō possit. Hæc ego spectans P. nō sum

 dicturus

dicturus, non postulauissem a vobis hunc honoris gradum, nisi doctus, nisi eruditus essem, ambitiosum enim id videtur: sed ita dicam, non postulauissem, nisi me doctum, & eruditum putarem: nisi me esse eum arbitrarer, qui cum reliquis rebus, tum maximè scientia hanc personam, quã vos mihi imposuistis, possem sustinere. Hoc pudoris mei conseruandi gratia positum omnes aspicere possunt: nam si me non satis aptum, & idoneum ad hanc artem Iuris Ciuilis profitendam existimassem, nunquam a vobis hac dignitate ornari voluissem, nec sciens commisissem, vt quum impudens viderer in honore petendo, impudentior adhuc existimarer in gerendo. Sed de me hactenus. RELIQVVM est vt iam illam alteram partem orationis aggrediar, qua vobis vniuersis gratias agendas statui pro vestro egregio, ac præclaro beneficio: nam moribus nostris nemo potest de iure publicè respondere, qui a vobis id non impetrarit. Antiquis tẽporibus aliud erat: omnes enim qui ingenio suo, vel studio confidebant, poterant se exhibere, vt consulerentur. Primus Tiberius Cæsar statuit, vt nemo faceret, qui a se nõ petisset, induxit que, vt responsa signata darentur, non quin vellet maximam esse copiam eorum, qui responderent: sed quò maior Iureconsultis autoritas accederet, quum ab indulgentia Principis illorum munus profectum uideretur. Et quia illis temporibus Ius Ciuile discentibus intra priuatos parietes tradebatur, erecta sunt multis post seculis gymnasia, institutúm que, ne parum multi perciperent, vt ars publicè doceretur. Addita sunt etiam iis, qui Iurisconsulti esse vellent, amplissima honoris insignia. Vobis deniq; & vestri similibus grauissimis, & doctissimis Iureconsultis permissum, vt statueretis, qui in huius honoris societatem reci piẽdus, qui ve ablegandus esset. Vos, vt ãtea multos, sic me nuper hoc insigni titulo decorastis, quod ego ad hominũ existimationẽ amplissimum, ad animi mei fructũ iucundissimũ reputo: etenim Iuriscõsultorum, seu (vt vulgari verbo vtar)

Iuris doctorum magna est præstãtia, magna dignitas, nihil de vtilitate loquor, quę pcipua est. Nos (iam enim in hũc numerum includor etiam ipse, & vniuersorum laudem ad me aliquid nũc arbitror pertinere) Nos iustitię patrocinium suscipimus, iura Ciuibus ministramus, ostẽdimus cunctis quid suum, quid alienum, quid retinere, quid dimittere debeant: nos subleuamus consilio perterritos, opem pręstamus supplicibus, & legum seueritate freti affligimus nocentes: nos propinquorum controuersias arbitrio tollimus: nos grauissimè dissentientes ciuium voluntates ęquitatis vinculo connectimus: nostrum est hominum cõmoda adiuuare, pericula propulsare: Nobis deniq; quid præstantius, in quibus legitimum inest præsidium, multis necessarium, pluribus opportunum, omnibus verò semper paratum? Nulla mentis voluntas melior, quàm quę studet, nulla ingenii facultas maior, quàm quæ potest pdesse quamplurimis. Is qui hoc quęrit, & perficit, non summi viri existimationem suscipit, sed inter homines habetur, vt Deus: si quidẽ, vt verè etiam, & eleganter scripsit quidam, hoc est Deum esse iuuare beneficio mortales. Sunt tamen multi, quibus Iuriscõs. dignitas odio est: Iniqui ęstimatores, qui quod in vno, aut altero offẽdunt, id in vniuersos conferunt. Plerisq; legum ipsarum scientia suspecta est, & inuisa, qui ita dictitant tradere viam litigandi, non iustitię: hi nõ mediocriter errant, deberent enim dicere, non legum scientiam, sed ignorationẽ litigiosam esse, & verum dicerent: ipsa nanq; legum scientia quod vult efficere id amat, nõ quod inuenit: inuenit enim lites, has autem vult tollere. Inueniuntur etiam nonnulli, qui & si hanc artem maximè probent, huic tamen alias anteponunt: id totũ cuiusmodi sit non disputo, concludam breui si potero. Nemo est, sit quantum velit inimicus, atq; infestus nomini nostro, tamq; aliarum rerum cupidus, qui cum consideret vos singulos, qui uiri estis, quibus in rebus uersemini, quanta autoritas, quantę opes, quanta sit potentia, quin animo uehementius

mentius cõmoueatur, vt nihil maius, aut dignius exquirendum putet. Quis eſt iſte deniq́, quem ſciamus in Ciuitate amplius eſſe aliquid, aut illuſtrius iudicaturum? qui modo ſemel conſeſſum florentiſſimũ hunc viderit, quo ego ita paſcor, & delector, vt me in quoddam deorum cõcilium aſſumptum putem. Sed nil mirũ, ſi hęc dignitas à pleriſq́ lęditur, quę ita in alto edita eſt, vt cunctis inuidię flatibus facillimè petatur. Verum vt eſſe Iuriſconſultum, quod vos mihi detuliſtis, non ſit, vt ego reputo, maximum, ſed magnum tantum: Tamen quod vobis debeo, eſt maximum: nam beneficia danti maiora acceptis debẽtur. Vobis ego Patres pro veſtro egregio in me promerito gratias, ſi non quas debeo, at quas poſſum & ago, & habeo, vt referam non poſtulatis: ſed ſi aliquod tempus veſtrum pro vobis à me poſtulauerit, intelligetis non ingrato loco beneficium collocaſſe.

DE COOPTATIONE IN COLLEGIVM de ſe facta, & pro Iuriſconſultorum præſtantia, & dignitate.

ORATIO SECVNDA.

HESTERNO die Patres quum vos alia quædã cauſa neceſſariò huc frequentes contraxiſſet, Baptiſta frater, & ego Iuris ciuilis artẽ profeſſi in iſtud collegium cooptari cupiebamus, idq́ à vobis vt fieret, vtriuſq́ nomine accuratè poſtulaui, quũ frater maior natu, quod etiam nunc facit, dicendi partes mihi nõ magis idoneo, ſed minus negocij habẽti reliquiſſet. Intelleximus tum quę veſtra eſſet benignitas, & quàm parata erga nos totius collegij volũtas, quum id, quod poſtulabatur, omni ſtudio, & nouo quodam verborũ honore detuliſtis. Nunc verò vt primum licuit vobis immiſti, non mediocri lætitia afficimur, propterea quòd pulcherrimũ eſt inter tot Ciuilis ſapientiæ lumina, inter tot

Iurisconsultorum robora collocari. Quis verò tam ab omni sensu auersus vnquam extitit, qui huic collegio non maximum honorem deferret, cuius præclarissima ornamenta nemo vnquam tam abundanti fuit ingenio, qui assequi se posse dicendo confideret? etenim ei scientiæ collecti præsumus, quę vna ex omnibus priuatorum fortunas, & reip. statum, ne diffluant, firmissimis vinculis deuincit: doctrinam verò, vt conuenit, ita necesse est apud vos esse maximam in tanta ingeniorum præstantia, vbertate, copia, varietate. Nihil in iure ciuili tam obscurū esse potest, nec vlla ratio tot implicita reperiri negocijs, vt cuncta non explicet, & illustret mutuus disceptationum vestrarum cōcursus: declarant hoc infinita, quæ de collegio isto prodeunt, responsa in causis maioribus, atque grauioribus tanta peritia atque autoritate, vt vix in ferendis sententiis ab his liceat discedere. Nihil igitur hoc cōsessu pulchrius in Ciuitate: si quidem nihil prohibet, quod sapientius est omnibus, quin idem quoque pulchrius habeatur. Quid præterea opes, gratiam, potentiam, autoritatem cōmemorem? quæ cum magna sint in singulis, tum clarius cernuntur in vniuersis. Grati flores, veluti quædam camporum sidera, dispersi: gratiores tamen collecti, & coronæ intexti. Similiter quum vnusquisque vestrū per se satis amplitudine sua & dignitate commēdetur: tamen maior insurgit oblectatio, simulac quispiam hanc tam grauium, tanque prudētium virorum coronam viderit. Magna est collectionis vis, magna dignitas: itaque leuiorum etiam artium collegia in honore haberi videmus, & ab amplissimis, omnique dignitate præditis viris expetita cognoscimus. Nam C. Cæsar ille Romanæ princeps reipublicæ, & cui, (vt poëticè loquar) omnis tellus & vnda paruit, in poëtarum collegium recipi voluit, quod eo magis animaduersum, & memorię proditū, quia ferunt fuisse ex illis poëtā quendā, qui venienti in collegium nūquam assurrexerit, quia illo in loco vacare credidit dignitatum nomina, quum illic non ad opum, sed ingeniorum

certamen

certamen veniretur, & ingenia, si spectarentur, superior in arte fore videretur. Sed quod ille non assurgendo licentius fecit, vt poëta, id vos in decernendo custoditis, & in ipsa col latione disciplinę. Nihil in dicente spectatur, nisi doctrina, cuius gratia collegiũ institutũ fuit: magnã ille sustinet psonã, qui rem in medio positam melius & acutius considerauit, scilicet vel ex eo facile perpendi potest, nõ spectari in iuris disceptatione dignitatem honorum aliunde quęsitam, quòd hæc ne in sessione quidem attẽditur: nam, ut quisq; ascriptus est collegio prior, ita sedet ex ordine, & sententiam dicit, ita enim se habere audio uetustum morem collegii, quem uęhemẽter probo. Et hęc quidem in uniuersum dicta sunt de collegio hoc illustri. De uniuscuiusq; autem nostrũ, idest de Iurisconsultorum pręstantia, & dignitate, non necesse est nunc Patres audientibus vobis plura inferre, nisi quod (dicam enim liberè) multis iam inuidorũ, & obtrectatorũ vocibus violamur, qui calũniando, detorquẽdoq; suspecta, inuisaq; omnia reddere conãtur. diuersi diuersa iactant, & veluti distributis partibus impetum faciunt, quorũ acutiores ita cau sam constituunt: Legibus, non legum interpretibus esse parendum, a quibus quęrendum videtur, quas interpretationes censeant reijciendas, æquas, an iniquas? si iniquas dixerint, ergo æquę manere debent, & illis parendum: sin ęquas etiam tollunt, non tam ii Iurisconsultis, quam Iusticię bellũ indixere. An fortasse illud audiendũ, leges interpretatione non indigere? Quod quidem stolidissimè dicitur: sępe enim lex vna sibi ipsi, vel alteri contraria videtur ponere: sępe legum scriptor negocia quędam non vidit, vel obscurè complexus est, quis neget tunc interpretem adhibendum esse? si leges linguam haberent ad loquendum, prodirent opinor, & pro se verba facerent: nũc summos viros tacitè rogare videntur, vt adsint, quę sit earum sententia aperiant, séque defendant. Itaq; aggrediuntur illi negocium, quod si detrectarent, viderẽtur leges persimiles esse ceruicosis ptinacibusq;

hominibus

hominibus, qui vbi seruis quæpiam præscripserint agenda, nihil vlterius pro varietate negociorum interrogari se volunt, & si interrogentur, eadē quæ prius dicunt, assiduéq; repetūt nullo alio sententiarum, & verborum genere vtentes. Quòd si tali bus viris nemo rite obediat, quippe sensu eorum incognito, ne legibus quidē parebitur, nisi earum sentētia in cunctis bene ex ploretur: nō enim querimur de legū latore, tanquam malo, si nō omnia lege terminauit, nec ei quisquam hoc obijciat peccatum, quoniam ipse quoq; legum lator nouit se peccare, at nō suo, sed rei ipsius vitio, quæ infinito modo se habens, non patitur se ipsam per singula negociorum genera literis includi: nō igitur dānandus, quia nō optimas tulerit leges, modo tulerit quan tum fieri potuit optimas: opus igitur legum interpretibus, quos qui remouent, ipsas etiā remouent leges, qa nihilo ma gis his populus vtatur, ac si nō essent, similiter ac si oculi ali- cui extinguantur, nihilo magis vtitur præsenti luce, ac si nō adesset. Meritò autē voco vos oculos ciuium, per quos illi vident quid retinere, vt suum, quid dimittere, vt alienū de- beant, quomodo ius suū prosequantur, quomodo defendant: his oculis extinctis, lux ipsa legū auferetur. At quàm cæca est criminandi cupiditas? enimuero ita sapiunt, vt nos oēs cupidos, & auaros esse palam affirmēt, neminē fori iura, ne minem causarum attingere patrocinium arbitrantur, qui non protinus ferueat prædandi cupiditate huc, illuc misere omnia detorquendo, & sibi ipsis sæpius contraria proponendo: atq; hęc passim licet in multorum scriptis legere, qui mihi videntur præcipiti quadā ac deuia cogitatione in leuissimos quosdā, & egētes incidisse, nec vnquam ad viros bonos, & graues, & vestri similes respexisse: aut malūt de vniuersis temere pronunciare, quam vnūquenq; suo promerito iudicare. Videte Patres quam non verear cum istis manū conserere, & quā nihil eorum, quæ iustè obijci possunt, diffugio: non enim obscurè agā, postquam etiam ipsi apertè loquuntur, equidē in tanta Iurisconsultorū multi- tudine vitari dico minimè posse: quin reperiantur nonnulli

causarum patroni omnino nō iustarum: multa enim in controuerso iure versantur, qui excusationē habere possunt imprudētiæ, si vera est, misereor, & ignosco: sin falsa, quoniam conuinci nequeunt, pectori istos suo, & vltori deo relinquo. At qui iniquarū litium patrocinio suscepto rē calumnijs extrahere, iudicia corrumpere, veritatem fallacijs labefactare conātur, hos improba in re improbius versantes nemo excusat, imo accuset qui velit, ad singulos accedens, vt aliquando plectantur, & de ciuitatibus eiiciantur. Si enim isti hoc facerent, non modo non delinquerent, sed æqua dicerent facere, & vtilia, & magna laude essent digni: nunc autē dum colligunt crimina, & ea temere in vniuersos iaculātur, num ideo pœna dignis vlla irrogatur, qua & ipsi coërceātur, & alii deterreant? Nihil video huiusmodi consequi, sed illud, qđ ini quorꝫ peccatis videntur claros & benemeritos viros in odiū quoddā, & inuidiā vocare, hoc improbissimi esse animi dice
" rent oēs: oportebat autē eos, qui ostendunt se aliorꝫ peccatis
" cōmoueri, videri ipsos recta facere, quū absurdū sit accusan
" tem in alijs improbitatū genera, vnū eorꝫ sibi sumere. Qđ si ad illam considerationē vocamur, vtrū melius sit odio improborꝫ, bonos etiā viros lædere, an bonorū caritate improbis parcere, hoc postremū reperimus magis esse rectū, & si boni pauci sint, improbi multi. qđ ita? quia difficilius est virtutē assequi, ꝙ vitia insectari: ideo amare magis bonos, quā odisse debemus improbos. Adiiciatur & illud, qđ qui vitia nō insectatur, remisso videt̄ esse animo, qui virtutē lędit, crudeli. hinc manifestius adhuc apparet cuiusmodi sint obtrectatores nostri, qbus vt gratificer, qđ odio vitiorū adducti sunt vniuersum accusare ordinē, qua in re boni profecto lęduntur, improbi se læsos simulare possunt, maluerunt hoc facto se crudeles ꝙ dissolutos existimari, quū liceret in neutrū horꝫ incidere, appellādo separatim improbos, & id agendo, vt de illis pœna rite sumatur: non enim decet maledicere, vbi non liceat refutare crimen, & Iudicio se defendere.

Quod

Quod si ad iudiciale certamē nollent descendere, cupidos, auaros, rapaces Iurisconf. qui erant, existimassent, atq; odissent: laudassent verò eos, qui legitimè Iuris instrumēto vterentur: nunc vnū tacendo, & aliud exagitando, agunt quantum in se est, vt dispari in causa oēs eodē ardeamus infamiæ crimine: iustè autē cōmouerentur in ordinē hunc, si arti vacaremus cuidā, quæ fieri aliquid male pmitteret. At quę ab omni humanitate disiuncta sunt, quomodo cū Iuris ciuilis artificio coniungerentur, qd' æqui, boniq; scientiam tradere pollicetur? Sed fortassis istos cōmouet, qa dignos, indignos, & qualescunq; viros vulgus hominū passim Iurisconsul. appellat: suscipiať igitur aduersus vulgus querela, qa sic appellet eos, quos nō oporteret, nos enim culpa caremus: nō enim psuasimus populo de Iurecōsultis sicut nec de medicis, & pictorib⁹, vt hęc nomina tribuat etiā malis: & fortasse tribuit, qa postq; ista sunt nomina, & non res, nulli laudē, aut culpā afferunt, tantū qd' quisq; fuerit ,pfessus declarant: hoꝝ autē quicūq; innocentiæ student, iis plurimū honestatis inest, tum verò etiā pulchritudinis. Incredibile est quantū luminis doctrinæ afferat mētis bonitas, quę si detracta fuerit, qd habet Iuris ciuilis ars gratię? qd nō potius odio dignū? nam quantò maioribus implicatur rebus, tantò altius nocebit. Itaq; vt quisq; meliori est genere natus, & animū vitiorum labe facilius remouit, ita illum maximè adhortarer, vt in ordinem istum, qui grauissimus esse debet, & sanctissimus, conferre se velit: sic enim rebuspub. & priuatis operam strenuè impendens ab omnibus probaretur, laudaretúrq;. Tu genero sus, tu integer, tu doctrinæ vbertate polles, & ita dicis. Ego mihi tantum studui, & mihi soli sapiens esse volo: improba oratio, imo verò quicquid habes doctrinæ, id in cōmunem vsum profer, ita vitam traducere velis, vt nō solum tibi, sed cognatis, amicis, ciuibus susceptus videare. Neminem verò in toto ordine hominem esse improbum res est voto persimilis. Itaq; rogato Deos, vt tantam præbeant fœlicitatem

vulgò autem homines illud efficiunt æquissimũ, qđ culpam suis tantũmodo ascribunt autoribus: hęc si aberit, te amplectentur, q̃niam id aberit, propter quod dignum erat odisse. Cur igitur te in ordinẽ hunc non recipis? quid times? Illud scilicet, ne propter quorundã Iurisconsultorũ furta prædo ipse dicaris? at id est absurdũ: non enim cęterorũ furta existimationẽ tuam violabunt, nec si te in gregem nr̃um contuleris, prędа tibi cum illis, sed ordo fuerit cõmunis. At labores, quos in causarũ defensionibus pferimus, displicent: odiosos, atroces, inhumanos, stomachi, miseriæq́ plenissimos esse arguis, quin exclamas in hoc durissimè, atq́ adeo valde tragicè deum atq́ hominũ fidem pene implorans, quasi hęc tam grauia onera suis ipsius humeris ille nobis ferret, non cogitans demum si ferre ipse talia non potest, qđ non meliorẽ se sed languidiorẽ videtur ostendere. Sed cur deinceps idem suauissime homo honoribus, & emolumentis oĩbus ornari per molestè ferebas? quasi tunc fiat aliqd, qđ non oporteat, vtrũ a nobis, qui illa suscipimus p̃mia, an ab his qui ea deferunt? At nos non delicatè viuimus, non ociose, vt ais, sed cũ durissimis, & tristissimis laboribus de cõmodo, laude, dignitate paciscimur. Quid hoc loco criminatione dignum inuenis? At enim illi ipsi qui opera adiuti nr̃a referunt gratiam, hærent in crimine: non arbitror, nam beneficium remunerare oportet, ideo referenda gratia nõ incurritur crimen, si tunc euitatur. Quid igitur cõmouit, ne honores nostros æquo animo inspiceres? an inuides? & liuorẽ tuum crimẽ esse nostrum vis? cui sanè crimini ego faueo: multi enim, fateor, adsunt in hoc ordine, qui virtute nixi ascenderunt, & ingenio autore, maximã sibi dignitatem repererunt: nec tamen inuidiæ huius effugiendæ gratia depelli loco, & in miseriam detrudi velint. Ego Patres, vt ingenui viri non puto a vilissimis negociationibus sordidum petere quæstum, sic honestissimum fructum arbitror esse eum, qui de magnarum artium tractatione percipitur, neq́ verò in communi

vtile est studiis honores & gatiam adimi: nam quum extantibus adhuc nonnullis præmiis elanguescat etiamnum Iuuenum industria, & magna sit bonarum artium solitudo, quid futurum vbi nullus earum fructus præuideatur? " excitantur enim artes, & alũtur honoribus, nec facile inuenitur qui ad " magnos, difficilésq; descendat labores nullo commodo spe- " rato, aut percepto. Nec verò malè habet, quòd vnusquisque " amplissimum se esse vult, id enim a natura proficiscitur: sed quum pecuniæ, & honorũ amor reprehenditur, non illud reprehenditur, quia illa amat quispiam, sed quia plus quàm oportet amet, quía ambitione, & scelere quouis alio ad se ducere velit. Sin autem iniuria & auaritia absint, nemo reprehenderet eum, qui amplissimorum bonorum studeat fieri dominus, quibus modestè vitæ dignitatẽ tueatur: honestum enim id votum, quod tantũ abest, vt publicæ vtilitati contrarium sit, vt nihil magis congruat Ciuitati rectè institutæ, quæ omni ratione cõtendere debet, vt probi viri rectissimis studijs prędi ti opes habeant, & autoritatem, nec ideo minus si nõ quærant: improbi verò homines, & inertes, & si quærant, nihilo magis obtinere possint. Fuit olim ex hoc eodẽ ordine. C. Figulus, cuius Romæ pro singulari eius in Iure ciuili prudentia magna erat autoritas. Is Consulatum quum peteret, qui summus erat magistratus, nescio qua de re a populo Romano est præteritus: postridie quum ad eum consulendi causa domum Quirites venissent, dimisit omnes iratus, & abire iussit, graui insuper insequens dicto, quòd consulere scirent, consulẽ facere nescirent. Existimabit fortasse aliquis nimis hunc cõmotum asperè, quia beneficium exprobrare non debuit: sed nec populus benemerentẽ debuit præterire, vel potius Ius ciuile non contemnere, sed honorare tanquam bonum quendam virum: nam Ius ciuile tunc honoratur, quũ Iuris prudẽtes populus amplectitur & honorat: sicuti despicitur, quũ illi despiciuntur. Credidit ideò Figulus in honoris repulsa Ius ciuile contemptũ, & ab his, qui artis eius præsidio

adiuti fuerāt, vel iuuari posse sperassent: hoc quo minus fieri debuit, eo magis factum molestè tulit, & tam illo acri exarsit
» dolore, quod nō fecisset, nisi præclaris mentibus, & optimis
» ingenijs insitum esset oportere laboribus gratiam summis
» summam referri. Sed redeo ad obtrectatores, quorum peracutam mentis aciem desiderabam, nam duobus propositis, q̄d vnū alteri esset consequens, minime viderunt: at videre oportebat, ne altitudo fortunæ nostræ inuidiosa sit laboribus, ne labores odiosi altitudine effici fortunæ. Laboramus assiduè studiorum curis intenti: vigilamus plurimum: re familiari, voluptatibúsque cæterorum desertis prȩsto sumus omnibus, & alienarum litium molestias suscipimus, nō secus ac si res nostra agatur: aspera, sed quæ magna temperat dulcedo. Nam vt honores, magistratus, diuitias omittam, q̄d dulcius esse potest eo, quod quotidie experimur? videre scilicet domū nostram magno ciuium concursu celebrari, scireque id sibi ipsi, non generi, non diuitijs, nō orbitati dari: ipsos quinimo orbos, & locupletes videas venire, vt aut sua, aut amicorum pericula nobis cōmendent, fatentes quod in homine melius est, penes nos esse. Cæterarum artium studijs intētos homines, quales poëtæ sunt, musici, pictores, philosophi, rhetores, si mediocri sunt facultate, nemo nouit, sin autē vnus, aut alter eorum in arte est magnus, non tamen magnopere expetuntur: vbi enim semel quispiam eos viderit, transit, & contentus est, & nihilo magis assurgit, domū ventitat, salutat, prosequitur, reducit, quā si statuam, aut picturā aliquam vidisset: At nemo sibi tam vehemens, tam nobilis, tam potens in ciuitate videtur, qui nos singulos non obseruet, colat, veneretur, & iure quidem: nostrū enim iudicium est de sacris, de fœderibus, de vectigalibus, de vniuscuiusque fortunis, & capite: omnia deorum, atque hominum, belli, atque pacis Iurisprudentium responsis subijciuntur: tametsi nemini interdictum est, quin animi sui causa sepositas habere possit oblectationes quasdam, inter quas illud probandum est, quod plerique

faciunt,

faciunt,in quibus ego sum,qui ab hac graui,& seuera disci-
plina ad mitiores alias, & hilariores animum transferunt,
hancq; oblectationē suauissimā ducunt. Vt milites,qui belli
temporibus aduersus frigora,æstus,famem,ferrum pdura-
runt, iidem in pace venando, equitando, iaculando corpus
exercent,quòd eam amplectuntur quietē, quæ non in ocio,
ac desidia,sed remissione durioris laboris cōsistit:sic illi a du
rioribus codicibus ad molles paginas descendunt,laborem
labore,studia studiis eleuātes:eò autem magis fieri id decet,
quia non horret Ius ciuile nr̄um comitatum reliquarū disci-
plinarū,quin per illas appetit potius se collocupletari. Su[...]-
nes enim ingenuę artes inuicem se tenent, & veluti [...]antur:
dam amplectuntur vlnis, & naturali societate [...]xio,& ger
mouere autem vnum quenq; debet hęc ipsa [...]a reliquas inse
mana societas,vt vnius artis cognitione p[...] cuiusdam gentis,
quendas sibi putet,perinde ac si ipse vn[...] & prudentem ama-
& familiæ quendā tanq; bonum viru[...] boni sunt etiā,& pru
ret,& diceretur ei:quid,non ne isti [...] illum esse soleant,& orna
dentes viri,adeo vt præsidio sibi v[...] si animo paulisper esset
mento? cōmoueretur hoc audi[...]s, totam cognationē vellet am
erecto, reliquos cognoscer[...] perfecisset: sic vnius artis cogni
plecti,nec quiesceret,d[...] animaduertit reliquas eiusdē socias
tione delectatus,po[...] curare id debet vt in omniū pariter no-
esse pulchritud[...]s, curare id debet vt in omniū pariter no-
titiam, fam[...]aritatémq; perueniat: præsertim quū ipsę artes
velut in orbem stantes sibi ipsis inuicem innixæ inuitent ad
illum circuitum peragēdum,& vt omittam vtilitatem, quæ
de illis plurima gignitur, possint grata quadam varietate lu
dum,oblectationémq; sequētibus se præbere. Vere loquar
qđ intelligo. Antiquis & illis optimis temporibus non ante
se exhibebant homines,vt cōsulerentur,q; nō omni doctri-
narū genere exculti fuissent:hinc fiebat,vt in causarū contro-
uersiis omnia possent diiudicare subtilius, & explicare orna
tius:libri, qui de Iure ciuili ab his perscribebantur,summa

cum elegantia, vnũquenq; oblectabant. Verùm istorũ summorum virorũ summa nunc est inopia, qđ temporibus est tribuendum, quæ non solum barbara arma, sed linguam etiam, & mores perpessa sunt: vix enim tanta artium varietate instructi reperiuntur, sed reperiuntur tamen: sunt enim hac ætate nr̃a, & supra eam etiam fuerunt huius ordinis literati viri omni disciplinarũ genere exculti, & ad dicẽdum parati. At non hoc ipsum omnes concedunt: nanq; ij qui triuiales scientias docent, & humanitatis literas profitentur, illi, quoniam sibi doctrinarũ omnium sale conspersi videntur, Iurisconsultos, veluti insulsos quosdã homines, petulantibus verbis accusant, nihil scire, nihil intelligere arbitrantur, quia vetusti alicuius verbi in legibus romanis positi originẽ, & gentem nõ teneamus, ipsi videlicet sciant qui verbi illius pater, & auus fuerint, vnde atauus exortus sit, indigená ne sit verbum in Latio, an aduena: nostra ignoratione talium rerum concuti Rempub. iudicia euerti criminantur. Ac quantum nobis derogant, tantum sibi arrogant: nam vel triduo ius se profiteri velle minantur, vel circunlabente anno interpretationes in vniuersum Ius Ciuile summa cum Iurisconsultorum vtilitate conscripturos affirmãt. Ego verò ne legis quidem vnius caput interpretari rectè illos posse dixerim. ipsi disertos se videri volunt, & fortasse tales sunt: instituant igitur adolescentes ornatè & suauiter dicere, poëtásq; illis, & oratores exponant, hæc ipsorum prouincia, supra ne se attollant, longè enim alius est Iudiciorum strepitus, alius carminum, non eadem legislatorũ, rhetorúmq; pręcepta: adeat ad illos paterfamilias quispiam, deferat controuersiam sibi de fundi finibus, aut de legato pecunię, aut de quęstuaria negociatione cũ amico, vicino, socio intercedere: exposito autem litis genere, & clarissimè demonstrato, calcar addens dicat: Accedo ad vos eruditissimi viri, quos audio pulcherrima multa profiteri, in his etiam scientam Iuris: nam quantum ad ipsos attinet Iureconsultos, cõtemno equidem illos

non mi-

non minus fortiter, quàm vos, veluti omnium rerum ignaros, idque a vobis persuasus facio, vt æquum sit vos mihi nunc opem ferre, neque me beneficio vestro indignum putare, qui vestra colo: Rogo igitur vt controuersiam mihi hanc explicetis, quid ago? quod consilium datis? quid est tandẽ quod in hac re vobis de Iure videri possit? Ad hæc istorum rhetorum quispiam, & forsitan qui inter illos fuerit disertissimus, ita respõderit. Mihi, inquiet, veterum verborum cura est, quæ in poëtarum versibus, & romanis legibus vndique inquirò: vide igitur, si aduersus quempiam controuersia tibi nata est vetusti vocabuli, quod tibi valeam interpretari, aut si fortasse (quod est longè præstantius) certares de antiqui scriptoris sententia, quam deceat inquirere, tum planè polliceor tibi operam meã, neque istis schedulis frigidis, & ineptis litem ducere voluero, sicuti cæteri Iuriscõsulti solent, sed honoris tui gratia orationem efflabo coram ipsis Iudicibus tam aptè, sciteque compositam, vt qui audierint, in risum concitentur, iudices autem oscitantes relinquam. His, & talibus verbis consulto rem ille infecta re dimitteret. Sed ne obijciatur me hæc fingere a vero diffidentia, referam non dissimile quoddam, quod aliquando fertur in Græcia contigisse. Adiuit pauperculus rhetorem quẽdam ex horum sanè numero, qui iura scire simulabant, quæsitum num ancillæ suæ liberi, quæ sibi furto subtracta fuisset, & de furis seruo concepisset, in eiusdẽque domo peperisset, sibi an illi magis seruire deberent, ille petita die ad respondendũ, vbi ea aduenit: rem, inquit, meditatus sum tuam, & libros diligenter inspexi, necesse est autem, vt hi de quibus interrogas, aut tibi, aut aduersario seruiant, vtriusque enim esse mancipia nõ possunt: sed facito, ait, vt eum habeas iudicem, qui tibi sit amicus, aut etiam affinis, apud quem si iustiora dixeris, ne dubitandum quidem, quin litem obtineas, & superior è Iudicio discedas. hoc modo ille. Sed quid nostri facerent rhetores tali in re? Certè aut inscitè respondeãt necesse est, aut rimam aliquã aperiant, qua de pollicita

tionibus suis effluant,& elabātur: longè enim aberit ea beati tudo, qua antea veluti scientia diuinitus effusa ausi sunt pro fiteri quod nunquam didicerunt. Nos autem barbari,& leguleí,(sic enim appellant)tantum re præstamus,quantū inaniter illi sonant. Sed qd miror istos non parcere huius,& superioris ætatis Iurisconſ.?cum in illos etiam veteres,quorꝫ responsa pro lege nunc sunt,& sacrosancta habentur,audeant vngues & dentes acuere,quorꝫ princeps Valla,sequūtur cæteri,qua in re ea plerunqꝫ ab his dicuntur, vt nescias vtrū misericordia,an risu potius sint digni: veluti illud est,vt exēpli gratia aliquid referam,quum legisset Valla Vlpianū,Victus verbo quæ esui,& potui,cultui quoqꝫ corporis, quæqꝫ ad viuendū homini necessaria sint contineri: exclamat homo Vlpianum pessimè sentire, quum plurimæ gentes in Æthiopico solo absqꝫ vestibus æuū degant, quasi Vlpianus Æthiops fuerit,vel Æthiopum iura interpretetur,spectandúmqꝫ fuerit in explanatione latini verbi, non quid in latio, & circuniacentibus regionibus seruaretur,sed quid Æthiopes,& Indi facerent, quóue victu ignota nobis natio se toleraret. Miror pari ratione nō dictum, Victus appellatione cibum & potum non contineri,quia ad extremos Indiæ fines circa fontem Gangis eadem nobis tradit historia,quandam incolere gentem nullo nullo cibo,& potu vtentem,halitu tantū, & odore florum,& pomorū se tenentem. Cur non id quoqꝫ additur? non enim nuditas magis,quam cibi,& potus abstinentia mirabilis, & tenacius eius memoriæ hærere debuit. Idem Valla clamitat Pomponium,atqꝫ Vlpianū corrūpere linguam latinam,qui quot mensibus,quot diebus scriptum reliquerint pro singulis mensibus,singulis diebus,quo tamē locutionis genere Plautū,& Catonē,& doctissimū omnium M. Varronem vsos esse constat. Demū plura errata impingit veteribus Iuriscōsultis audacissimè, at nō quò audacius, hoc sapientius, sed periculosius: nam mentem illorꝫ virorū sensúmqꝫ minime percepit, non in arduis dico modo, sed in

istis etiā,

istis etiam, quæ leuioris operæ illis fuerunt. Ecce autem tibi alii, qui Iurisconsultis historiam, & philosophiam necessaria ponunt, neminem nostrum sine his duobus munus de Iure respondendi expedire posse arbitrant̃, & ea nos penitus autumant ignorare. De istorum sententia nihil dicerem, nisi viderentur sibi nimis callidè ostendere nos esse sceleratos: quis enim artificio suo necessaria possit sine scelere p̃terire? Sed erroris huius fontem, & originem paucis quæso prius accipite. Audierunt, vt opinor, veteres philosophos plurima de legibus volumina effudisse, neq; vnq̃ animaduertere potuerũt, quòd tam multo interlabente tempore, tot vrbibus efflorescẽtibus nullus leges eas populus exceperit: nam officia legum longius protulerunt, quã natura, & Ius gentium ferat. Accidit autem, quemadmodum si auriga aliquo proficisci recta cupiens negligat, pro viæ ratione obliquantis se interdum, currũ circunflectere, necesse est, vt in deuia quęq; & prærupta feratur, nec eò, quò intendit, peruenire poterit, sed currum forsitan, & quæ curru deuehit, & equos, & se ipsum disperdet: sic isti dum in cunctis summum illud ius retinere student, negligentes ad humanitatem inflectere, in horrida, & aspera multa inciderunt, & nihilo plus assequuntur, sed illic potius videntur eorũ sapientiæ currum confregisse. Principiò vrbes non esse cingendas muris arbitrant̃, fortitudinis scilicet ostendendæ gratia, quamuis liceat nihilominus muros tenentibus irruptione in hostes facta idem ostẽdere, & perinde muris vti erectis, ac si humi iacerent, quum interim erectos illos stare ad subitos casus, & ad maiorem vim multitudinis propulsandam valde conducat. Deinceps medicos, pictores, poëtas, & opifices penè omnes de ciuitatibus pellunt, pecunias proiici, agros esse communes iubent, poma, & olera affatim mensis suppeditant, pro carnium esu interdicto. Quæ omnia huiusmodi sunt, vt videantur non communibus gentium moribus, sed votis eorum leges posuisse, quod nec ipsi dissimulant: postquam enim satis illa

præcepe

præceperũt, rurſus optant ita rem habere, & ea fieri: accidit ergo ijs idem, quod omnibus, qui vſitata relinquẽtes ad alia ſe transferunt, nam neceſſe habent inutilibus ſe poſtea votis committere. Auriga is, de quo antea dixi, qui orbitam deſeruit, videns inuia quæ tenet prærupta, & confragoſa, nõ facilem, nec tutũ acceſſum habentia, hic quoq; optauerit itinera ſuo accõmodare ſe currui fruſtra, nam nõ mutantur illa, ipſe mutari magis debuit, vt tritam inſiſteret ſemitam, qualiſcunq; eſſet, & pro eius flexibus currũ conuerteret: vbi enim via currui aptari nequit, currus viæ aptandus eſt: quomodo non hæc eadem iſtos viros ſapientiæ nomine ornatos facere oportebat? Vbi enim vidiſſent eorum inſtituta congruere non poſſe populorum moribus, inflectere ea, & temperare ad humanos vſus debuerunt: curandũ eſt enim in ſuo genere nõ vitioſo, quod ad melius erigi nequit, hoc ſic fieri oportebat: non autem ciuitatem, & ciues tanquam ex argilla, aut cera ſibi manu formare. Sed eos nec humana dixiſſe, nec moderata ſenſiſſe non modo ex iam dictis apparet, ſed ex eo etiam quòd mulieribus, quę vix ſufficiunt lanam, & alia ſub tecto diſponere, militiam, & arma ſua lege aſſignauere: ſtultum id quidem eorum votum, at caret ſcelere. Sed illud quale eſt, quòd earundem oſcula, complexus, & illa, quæ ſequuntur, ſanciunt promiſcuè omnibus patere? Mirari vos video, quaſi aliquod dixerim portentoſum, & forſitam fidem non habetis dicẽti, nec iraſcor: veriſimile, fateor, ſit magis a mœcho quopiam deprehenſo legem excogitatam fuiſſe, quam iſti vt ſuam proferunt, & defendunt. Sed hoc forſitan loco ſeuerior aliquis iniquè ferens in philoſophos hoc dici, & eos cupiens defendere, dicet non ita ſapientiſſimorũ hominum leges irrideri oportere, eſſe enim altius compoſitas, quã vt ad eas popularis intelligentia accõmodet: at iſtud eſt, quòd coarguo: nam in philoſophorum legibus philoſophari velle concedendũ eſt, neq; hoc ipſe demiror, ſed illud quæro, quũ ab illis legibus ſublimibus populi ſenſum remoueãt, cur in

his aliis

his alijs humilioribus ad populi vsum conscriptis philosophari cupiant? quò id spectat? leges enim hæ populares cõmunibus vitæ institutis aptari voluerunt, seq; aperto explicant sermone: nulla philosophandi causa, nisi forsitan earum sententiam astutè circunuenire quidã velint, quemadmodũ ii solent, qui æris alieni magnitudine vrgentur. Notus est (vt opinor) vobis comicus ille adolescens penes Aristophanem poëtam, qui a patre deducitur ad philosophos, vt eorũ versutiis creditores fraudaret. Audiui etiam quendã recentium philosophorũ hoc iam argumentum cõposuisse, quòd quum homines ex minimis quibusdã particulis constemus, & hæ quotidie à corporibus decedant, aliæq; extrinsecus in earum locum accedant, hinc fieri, vt qui heri mutuũ sumpsit, hodie haud debeat, quandoquidẽ alius effectus fuisset. Hoc quàm ineptum sit, & si cuilibet perspicuũ, tamen vt magis id liqueat, fingamus parumper animo rem iudicio agi, & creditorem ipsum condicere mutuũ de reo finita die mutui: si occurrens actori tunc reus hac se defendat formula, proponens se nõ esse illum eundẽ, qui mutuũ receperit, sed alium quendam, quippe cum se postmodũ mutatum esse philosophica ratione doceatur, sic petitioni eius exceptionem hominis mutati obstare, quem mihi tunc dabis e populo, aut Iudicem tam subducti supercilii, vt a risu temperet? præsertim quũ creditor non inurbanè replicare valeat, non esse adhuc specie mutatum, mutari tamen posse, si qd' debet dissoluerit, tunc desinet esse qui fuerat, & alius fieri incipiet, si ita mutaretur, non trahere se in iudicium hanc formã debitoris mutatam: sin aliter, quia idem maneret, dãnari oportere. Hæc audientes Iudices scio quod dãnabunt reum, & non parentem iudicato in carcerẽ etiam contrudi iubebunt vociferantem forsitan multa de miseriis suis, quòd quũ alius sit, idem tamen esse videatur, indignum facinus nõ licere per Iudices debitori philosophari: Suppetunt nunc plura alia peruersa philosophorũ dicenda, si id vnũ tractaretur. At non omnia

eorum huiusmodi sunt, credo, sed nemo nos de cœli natura, de siderum traiectione, de vnico rerum principio, de elemẽtis vnquam consuluit, quibus de rebus ipsi philosophi libros referserunt. Itaque liceat bona venia ignorare ea, quæ partim ad nos nihil attinent, partim etiam institutis nostris contraria sunt: sic historiam cognitioni veterum gestorum necessariam arbitror: causæ, quam clientulus forsitan habet de agello, minimè. Quo ad nos historia? nisi fortasse ex ea credimus validam Iuris defensionem Agathoclem Siciliæ Tyrannum duxisse, cui quum Ithacenses quererentur pecora eorum a militibus abigi: at Vlysses, inquit, vester ad nos cum accessisset, pastorem excecauit. Eadem ratione collaudentur Thraces, qui vbi vxores bene pulsarunt, eiulantésque vident, meritò pati illa dicunt, propterea quod Orphea sacrum Musis virum antea peremissent. At, si non ob malorum facinorum defensionem, ob alia tamen quædam operęprecium fuit historiam cognoscere, Quæ? num forsitan vt discamus Æthiopas absque vestibus æuum agitare, hincque trahamus Victus vocabulo vestes neutiquam contineri? nam hoc splendido argumento Valla veteres illos Iurisconsultos doctrina omni affluentes, vt antea dixi, reiecit. ridiculum id tum vobis visum fuit, & nunc etiam videtur: quoniam etsi vera essent quæ de illis gentibus traduntur, nihil tamen ea ad nos pertinent, qui toto (vt aiunt) cœlo ab illis disiungimur. Nobis verò satis est præsentium temporũ, hominum, locorum consuetudinem, ritúsque nosse: non enim de sæculis præteritis consulimur, & si quæ controuersiæ de finitimis prouinciis ad Iureconsultum quempiam doctrinæ opinione insignem deferuntur, iura simul, mores, & instituta prouinciæ per eos, qui consulunt, deferuntur, quantum satis sit ad explicandum controuersiæ genus, quod inter manus est: at de prouinciis, quæ longius absunt, & quæ extra Romanum iacent imperium romana iura renuentes, certo certius est Iurisconsultum latinum non peti, nec ideo

res illarum gentium fortuitis quispiã agitari putet casibus: habet enim vnaquæque natio Iurisperitos, ad quos suis referant de rebus. nihil dicam de cæteris: sed illi nudi, de quibus Valla admonuit, suos quoque nacti sunt sapientes, qui non sunt minus nudi, quàm ipsi, atque ea de causa Gymnosophistæ vocantur, si modo veteribus historiis stamus: horum illi sapientia fruuntur, nec necesse habent, consilii exquirendi gratia, ad calceatos, vestitósque penetrare. Quapropter Iurisconsulto nihil est aliis literis opus ad gentium ritus per noscendos, vt munus suum tueatur: nam regionis, in qua degit, satis per se mores, & instituta nouit. Alienarum autem regionum, si finitimæ sint, non horrentes Romana iura, admonetur de propriis illarum ritibus a consulentibus: sin barbaræ sunt, & immanes, longius etiam positæ, ne curandum quidem de his, qui sibi consuli a nobis nolunt. Sed totum id, de quo nunc agitur, breui concludi potest: nam aliæ artes, vt nomine diuisæ, ita diuerso studio sunt, & disciplina, neque profitentur idem, quod Ius ciuile. Hoc ex eo ostenditur, quia tametsi quis alias nactus est artes, tamen vbi de iure respondendum est, illas dimittit omnes, & huius scientiæ vel solum, vel potissimum vtitur munere. Ille autem, qui ne aliud quidem nouit, præter Ius ciuile, hic non est dicendus aliquid aliunde petere, qui etiamsi cupiat, facere non potest egestate aliarum scientiarum: & tamen huius vnius doctrinę facultate de iure cuicunq; aptè, peritéque respondebit. Itaque quod proprium est eius, id neque ab historia, neq; a philosophia, neq; ab alia arte petendũ venit. Nescio etiam si in aliqua arte ea sit imbecillitas, vt sibi ipsi non sufficiat, & egeat auxilio extrinsecus petito: quòd si id in aliqua, non tamen in Iuris ciuilis arte, quæ potest nullo aduentitio auxilio, domesticis copiis fines suos defendere, & præstare per se Iurisconsul. vt verè sint quod esse dicuntur. Quam ob rem de reliquarum artium studiis non est ita cogitandũ, quasi sine his Iuris scientiæ satisfieri minimè possit:

necessa

necessaria etenim nō sunt, vtilia fatendum est: idcirco paulo ante illam circularem eruditionem laudabam, ad eámq;, & vnumquenq; ordinis nostri, & quoslibet iuris studiosos ado lescentulos cohortarer: valent enim illa studia ad ornatum vitæ, ad acuendum ingenia, ad multarū rerum noticiam, & in ipsis Iuris ciuilis finibus præstant, vt inuenire valeamus acutius, & argumentari firmius, & ꝓbabilius omnia dicere: Iurisconsultum deniq; altiorem, & qualem ipse optauerim, efficiunt. Illa verò maiora, & diuiniora, præditum esse prudentia, grauitate, animi magnitudine, iusticia, liberalitate, tē perantia, quæ amplæ, excelsæq; virtutes aut in nullo, aut in nostro grege sunt. Itaq; libenter ad ciuitatū administrationem assumimur, & in Regū, Principúmq; consilio frequentes adhibemur, & in amplissimis magistratib⁹ collocamur, vt vix dignitatis nostræ amplificandæ locus vllus relictus videatur. Postq; dixi quòd ad Ciuitatum assumimur administrationem, admonet me hic sermo cuiusdam certaminis, quod non ita diu hac in vrbe pro vobis suscepi: incidi enim aliquando in nobilem quendam virum genere, & diuitiis ornatum, qui sperās remotis nobis principem locum tenere in rep. & illic posse omnia, cœpit dicere, haud rectè facere Iurisconsultos, dum populi rebus operā suam adiungerent, non enim esse tutū in illos fluctus multitudinis, & in graues, irreuocabiléscq; sępius casus se dare: hoc audiens in multorū conuentu, tam & si cognoscerem quid pungeret hominem, tamen non ausus longius progredi quàm quò ille ferret, respondi procul hinc esse omnem naufragii metū degentibus nobis tranquillissima in ciuitate, pacatissimos inter viros: non hic Scylla, non Charybdis, nullæ in vrbe nostra turbulentæ tempestates excitantur, sicut in finitimis oppidis spectare licet, attamen ne illic quidem reipub. administratio a summis deseritur viris: at sæuit tēpestas, sed prudentia pariter adest, qua duce scopulos quoscunq;, si queunt, euitant, si nequeunt, scopuli fiunt ipsi, & irruentibus omnium malorū

fluctibus

fluctibus firmitate mentis, & duritie quadam virili resistũt: quid cæteris accidat hac in re nescio. Ego verò quotiescunq; video Iurisconsultos aliquos accedere ad remp. gerendam, id spectans magnopere lætor. Eodémq; modo & te & reliquos omnes lætari oportebat, præclarissimũ enim opus aggrediuntur multis profuturum, quod deseri nõ debeat metu incerti, & fortasse nunquam venturi mali. Sperandum est enim semper optimè: quòd si nonnulli impendunt fatales casus, cogitandum, quòd ne hos quidem ociosa vita effugere potest: hic ille sic repulsus abijt, non amplius recusans, quin administremus rempub. At quomodo administramus? nũ leuiter, aut ingenerosè? id enim videndum est propter eos, qui infructuosos nos esse patriæ vtilitatibus, & rationibus autumant, quia scutum, & gladium ad eius tutelam non capiamus, tum quietis studio, tum vsu togæ pariter impediti: miserum id quidem esset, si patriẹ non nasceremur, veruntamen nos, qualescunq; sumus, consilio, autoritate, sententia, & ipso (vt dicitur) pectore publicas res tractamus, qua in re non minus præstamus patriæ, quàm ii qui manibus, gladijs, viribus vtuntur, non enim modica actionis est pars considerare anteà quid agendum sit, quo ordine, quóue tempore. Itaq; res ipsas pręagimus quodãmodo, & prętractamus, dũ præscribimus cæteris quid faciendum, & illis postmodũ vt ministris gerenda tradimus singula: quin iam apertè dicendum ipsam bellicã disciplinam, quamuis frementem armorum strepitu, & equorũ hinnitu, & tubarum clangore, eam tamen Iuris cedere prudentiæ dignitate, quòd res ipsa ostendit, nam milites, vbi vrbes aliquas, aut regiones armis cœperint, vel conseruauerint, eas deinceps Iurisconsultis tradunt legibus gubernandas, ex quo ostenditur alios esse, qui res præparant, alios qui vtuntur, sicut in lyra videmus, alius est lyræ faber, alius qui vtitur citharędus, inferior autem fabricans vtente, sic inferiores Iurisconsultis milites, his enim illi rerum a se captarũ vsum cõmittunt: ipsum prætereà bellum

non honeſtè ſuſcipitur, aut geritur, niſi vt leges valeant, & ius ſeruetur, & ne tum quidem optandum, vtpote quòd or tum habeat minimè generoſum ex neceſſitate ſcilicet: non ſic leges, quibus initium attulit voluntarius humani animi pudor delectatus iuſtitiæ ſanctitate, quæ in ipſis legibus mi rè fulgebat, præferuntur igitur leges armis amore omnium, antecellunt etiam dignitate, quia recta militia claritatem ha bet propter Ius, quod tuetur, non Ius propter militiam ho neſtum. Ex his etſi quod ſequitur manifeſtum eſt, erit tamē manifeſtius ſi dicatur: dicendū enim quòd quantò præſtan- tius Ius viribus, leges armis, tantò ars arte nobilior, & mini- ſter miniſtro. Hic Iuriſcōſultorum fatuitas latè exagitatur, & exempla nominatim inducuntur eorum, qui dixerunt ali quando ruditer aliquid, vel ſtultè geſſerunt, de quo miran- randum non eſt, quoniam fortaſſe hoc curabant illi tantum modo, vt de iure reſpōdere poſſent, negligebāt cætera; hinc vſu rerum parum edocti, & natura non ſatis acuti ſermone, vel opere riſum forſitan mouerunt. Quanquā ita intelligo quod quiſque dixerit, vel fecerit ridiculè, id in iuriſcōſultorū quempiam conferri ſolere, quò magis ſit ridiculum ſi a ſapi- enti viro geſtum videatur: demus tamē id accidiſſe nonnul- lis Iuriſconſultis, vt ſtulti fuerint in aliquo negocio, ſed iſti magis ſtulti quàm illi, ſi obiiciunt omnibus qđ paucorū pro priè eſt crimē. Quot enim in hoc ordine viri & nūc, & olim fuerunt, qui de ſtudiis deducti ſuis ſæculi negocia aptiſſimè tractauerunt? neminem nominabo, quoniam infinita mul- titudo vnicuique occurrere poteſt. Illud etiam noui, quòd nemo Iuris ſcientia quicquam imprudenter agit, nec aliud ad Ius non pertinens per hāc ipſam Iuris ſcientiam aggredi tur: varia hominum ingenia ſunt, diſtractaéque ſententiæ, quæ pro ſuo captu vnumquenque agere, & dicere compel- lunt. Quæcunque igitur contingunt in hominum natura, & moribus, ſeu laude, ſeu vituperatione digna ſint, hæc & a nobis, & ab aliis expectari poſſunt: quæ verò huius artificii

noſtri

nostri sunt propria ab alio expectari debent nemine. Ecce cogetur aliquando Patrum concilium, labentem Christiani populi disciplinam fulcire volent, quæretur idonei viri, qui ecclesiæ Dei iura describant, Iurisconsultis tale munus committendum videretur, idque omni tempore factitatum fuisse agnoscimus. An potius, more maiorum reiecto, ad eam rem vocabuntur Iurisconsultorum obtrectatores? vel num fortasse ipsi aderunt inuocati? Concedamus sane vt adsint: amplius etiam aliquid largiamur, vt hac de re verba faciant, sed ea conditione ne irrideant aliquos, sed ipsi magis rideantur. Vix quod dicturus sum modo credi poterit, sed tamen eò audaciæ deuentum est, vt nostra inuadant dogmata, quæ ignorant, non alio spectantes, quam vt iniusta ostendant, quòd si ita esset, succensere ego huic disciplinæ, & mihimetipsi potissimùm, quòd eam adamauissem. Sed quid ferant videamus. Iurisconsulti, inquiunt, sic docent, licere innocentem Reipub. causa interfici: sed non est innocens calumniator, qui, quum diuisa sit inter plures iniustitia, magnam eius partem ipse possidet, & quem nos etiam statuimus Reip. causa hominem esse improbum, pœna dignũ. Sed isti, ut uidetur, leges metuunt nullas, postquam ipsarum legum patronos tam inique in falsum crimen vocãt. Quis enim Iurisconsultorũ id dixit? vbi? quando? qui sententiæ comites? nihil horum explicatur, nec mirum, ad alios id crimen pertinet, nam poëtæ illa vox est, Vnum pro multis dabitur caput, non Iurisconsultorum. An homicidia comprobamus? & quicunque eripuerit sponte alteri nullo eius merito, non qualemcunque rem, sed vitam ipsam, qua nihil in humanis carius, & propter quã reliqua sunt cara omnia, cuius lapsum nemo reuocare, nemo iacturam resarcire possit, is nobis autoribus pœnas nõ dabit? & audietur dicens id fecisse cõmunis boni gratia, vt populo.s. cõcitato morẽ gereret, & multorum res, & corpora seruaret, quum ne ob hæc quidem debuerit tantum deflectere de Iuris semita, & animam suam tam tetro obijcere

d ii facinori,

facinori, concedimus quidem posse aliquando puniri quosdam sine culpa, sed non sine causa, ita tamen vt corpus non tãgatur, sed diuersa pœna irrogetur, & eos qui hæc faciunt, ferendos, non etiã laudandos arbitramur: Hoc iure vsus est olim populus Romanus in Collatino, quẽ exulem fecit ob id tantũ, quòd regibus expulsis sanguine iunctus esset, ferri id potest, sin autem ea de causa hominem innocẽtem intermisset, ingens flagitium concepisset. Athenienses metuentes Æginetas classe pollentes, & nimis imminẽtes pyræo, statuerunt, vt quibuscunq; æginetis pollices præciderentur, durè, arrogãter, scelleratè, nec tam crudele factum defendi potest vlla allegatione publicæ vtilitatis. Hęc quũ sentiamus Iuriscõsulti, & rectè sentiamus, nullius culpæ rei sumus, quia nõ peccamus ipsi sermonib9, ac ne alius quidem per nos opere ipso peccandi licentiam habebit. Alterum ingens etiam crimen, aiunt enim classicum nos canere, & bellorum esse tubam: quid ita? quia dicimus vim vi rectè repelli. Vtinam de Iurisconsultorum sententia cuncta gererentur: melius, vt opinor, se res humanæ haberẽt, nihil profectò esset, quòd honestum ocium exueret, non contenderetur exercitu, & castris, & armis, sed iure, & legibus. cui verò suaderi potest nos causam quãpiam permittere ferro, quòd studijs dediti horremus, legitimam tollere disceptationem, in qua assiduè versamur? non ita est: quid igitur? cupiunt plures non iustiora dicendo, sed vim intentãdo superiores euadere: ergo in tanta hominum cupiditate rectè habet, si licere dicimus arma armis coërcere, & sibi aduersus iniustam vim auxiliari, quod & natura feris, & mos gentibus, & doctis ratio ipsa præscripsit: si enim legum pia est prouidentia, quæ susceptum vindicat facinus præsidio armorum, cur non æquè pium sit eisdem in armis iniuriæ obuiam ire? Imo quantò melius seruare innocentem, quàm affligere nocentem, tantò hoc illo rectius: ridiculum enim esset, si vbi videret quispiam alterum ferro, & manu inuadentem

quietus sedeat, nihil sibi, aut suis timens, q̃a vis fieri legibus ꝓhibeatur: nam vbi peccant homines scelesti armis in viros innocentes, non modo illis, sed ipsis etiã legibus vis infertur, quæ vim illam fieri vetabant. Cogitandum est autem, quòd si verbis suis improborum arma leges possent repellere, a se primum hanc propulsarent iniuriam, tãtum autem abest id posse, vt illę aliorum armorꝫ beneficio verba sua non verbis tueantur, & tunc ostẽdunt hominibus, quid eos tali in re facere oporteat: nam postquã leges aduersus vim hominibus autoritate sua nequeant opitulari, nõ fuit deinceps tanta earum seuitia, vt velint aliquẽ iniustum alterius sponte subire facinus, vt ipsæ postea facienti iustam necessario irrogarent pœnam: nõ enim amore pœnarꝫ ducuntur ad puniendum, sed odio scelerum: quum autem puniant scelera, ne in posterum fiant, patet quòd ea, quę facta sunt, fieri noluerint: ideo vnũquenq; sceleri venienti occurrere sinunt, gratiúsque est cõsilia facinorꝫ punire leuius, quàm acerbè euentus. Sentio Patres orationem meam prolapsam esse longius in tanta vestra audiendi facilitate, tametsi nihil a nostris rebus abhorrens, nihil indignũ auribus vestris dictum sit. Multi obtrectationis studio incitantur, sed intelligere potuistis q̃ vana, & quàm leuia in nos iaciantur. Quid enim dicunt? in arte ꝓpria mali, in reliquis muti, labores miseri, honores iniustè traditi, deinceps fœda illa verbõrũ colluuio, iniqui, rapaces, auari, crudeles, rudes, barbari, leguleî. Nemo vnquã ad ista refellenda oratoris eloquentiã requisiuit, possunt videri tantũmodo crimina, quia obiecta sunt: cæterum nihil habent solidum, nihil rite fundatum. Si quispiam istos compelleret inuitos iuris ciuilis artem exercere, & dicerent se alias artes huic anteponere, id fieri quidem posset, quia hoc huic, aliud placet alii, diuersæ voluntates, distractæq; hominũ sunt per singula penè capita sententiæ: nunc non præstant ipsi legibus patrocinium aduersus iniuriam, neq; litium dirimunt controuersias, aut iudicibus dirimendas tradunt: hæc non

agunt, & alios agentes criminātur, & si putant illos malè illa agere, non docent quomodo melius agi eadem possint, sed contumeliosis tantūmodo vtuntur vocibus, quomodo non ex his detegitur manifestò eorum animi iniquitas? Video censores olim populi Romani artificijs præfuisse, & eorum quædam veluti noxia improbasse, & è ciuitate eiecisse: an censores & isti? vnde? quomodo digni? quorum suffragijs meruerunt, vt de amplissimo ordine iudicarent? si docerent aliquid, & si interim seueriora quædam exciderent verba, putarem officio adductos ad reprehendendum, vt prodessent: sed vtuntur tantūmodo maledictis, conuitijs, sermonibus ad inuidiam concitandam paratis, & quum probi viri malint iniuriam accipere, quàm alteri tradere, isti præclarum putant vltrò in immerentes impetum fecisse: stultum est, si quæram quo vetere exemplo id fecerint. Solebant antea periti homines, & callidi in dicendo dignitatem nostram attenuare verbis, ne tanta esse videretur, non isto exemplo agebant, vt Iurisconsultos maledictis incesserent, quorum præsidio cæterorum fama integra, illibatáq; conseruatur: nobis enim patronis si quispiam alicui conuitium fecerit, vt eius minuat opinionem, illatam cogitur reuocare contumeliam, vel iniuriæ æstimationem præstare, vt intelligat iniustè alterius famam petisse. Itá ne verò audeat quisquam eos maledicto impetere, a quibus si sibi ab altero maledicatur, ipse auxilium peteret? & quomodo non esset æquum iubere tunc huiusmodi hominem maledictorum in nos prius subire pœnas, quàm ab altero reposcere? mihi mirum videtur, quòd quum molestè ferunt homines sibi maledici, maledicant deinceps nobis, qui legibus inseruientes ipsam frænamus maledicendi licentiam, & eius beneficii, quod præstamus cæteris ne malè audiant, nos ipsos faciant expertes. Itaq; de temporum istorum iniquitate nō
" nihil conquerendum videretur. Est autem huius sæculi la-
" bes quædam virtuti inuidere, & summas artium, & honorū

dignitates libertate vocis perstringere: nam qui leuioribus in rebus sunt mites ingenio, iidem aduersus maxima quæque oratione truculenti existunt, & quum ea, quæ firmissima sunt, & grauissima, irriserint, tum vero multum sibi additum dignitatis putant, & se ipsos ingenii gratia florere arbitrantur, qui mihi vel ipsa impunitate, & licentia maledicendi miserrimi videntur: ex eo enim, quòd huiusmodi viros grauius non insectamur, apparet quàm modesti nos simus, illi magis etiam impudentes existimãtur. Quòd si sapientes fuere veteres, qui tantò altius se extollere leges arbitrabant, quantò magis earum consultos in honore haberent, istos honoribus obtrectantes nostris fatuos etiam iudicare necesse est: sed vel ex eo insigniter eorum stulticia deprehendi potest, dum deformãdæ dignitatis huius gratia obijciunt nos cum litigiosis tantũmodo hominibus viuere, & nocentibus. Aspera scilicet cõsuetudine, & natura sumus, neminem amplectimur, nisi qui operam efflagitet nostram: imo cum amicis plurimis, & familiaribus sæpissime dies ducimus, quibus non vsui sumus, sed voluptati, non præsidio, sed ornamento, & si quod præsidium in nobis est, non illis malumus necessarium esse, quàm paratum: non enim placent lites, & dissensiones inter se ciuium, quòd ex eo apparet, quia imminuere ea legibus, & tollere conamur: vbi enim quid turbari cœptum est dissentientibus animis, itur ad arbitria, vel iudicia nobis autoribus, vt discordia finiatur: hoc satis ostendit nolle nos esse natum, quod statim, vt apparet, extingui, abrogarique studemus: sed de his satis, & fortasse nimium. Nũc ad id, propter quod instituta est hæc omnis oratio, veniendum. Intelligere enim potestis non solum fratris iudicio, & meo probatum, sed vtriusque animo carissimum esse, atque acceptissimum istud collegium, qđ nulla generis varietate constare videamus, omnes enim ciues estis, & neminem in hunc numerũ nisi ciuem venire vultis, quam exultationem huius patrię, quãtam fore creditis voluptatẽ, dum perspicit se tam

præſtanti doctrina Ciues extuliſſe, & tantũ ſibi præſidium, ornamentúmq; genuiſſe. Veniant ſane externi homines ad nos, veniant: ſed ita, vt intelligãt virtutem eorum gratam, vſum autem minimè neceſſarium: quoniam per ſe, & a ſuis habet hæc florẽs ciuitas, vnde omni tempore tecta, munita, ornata eſſe poſſit. Ergo quũ non ſolum veſtra dignitas, quæ eſt maxima, ſed etiam patrię charitas mẽtibus noſtris infixa nos vobis coniunxiſſet, iſtum aditum collegii, qui ciuibus inter ciues ſemper patuit, non fugiendum, ſed omni ſtudio, rationéq; expetendum putauimus: vos autem tam benignè vtrunq; in collegam recepiſtis, eo affectu complexi eſtis, vt non parum laudis dignitati noſtræ teſtimonio veſtro tributum eſſe videatur. Etenim cum multa pulchra, & decora nobis dixiſtis, tum vel illud eſt magnum, quòd maioribus noſtris digniſſimos iudicauiſtis, qui cunctorũ iudicio egregii ciues, & præſtantes Iuriſconſulti fuerunt, & qui etiam (quod prætericram) continua ſerie honeſtiſſimum locum in hoc collegio ſemper obtinuerunt, vt nos nunc illum tanquã familiæ debitum prope iure noſtro repetiſſe videamur. At tale iudicium, tanta veſtra ſtudia gratiſſimo animo ſuſcipimus, & in ampliſſimam beneficii partem numeramus, nec vlla vnquam illabetur dies, qua huius facti veſtri memoria mentibus noſtris immoriatur, quo ardentius omne virtutis munus obeamus, & ſtudioſius omnia, quæ ad dignitatem veſtram tuendam & augendam pertinebũt, faciamus: nam quæcunq; autoritate, ingenio, gratia, re, copĳs conſequi poterimus pro noſtra in vos perpetua obſeruantia, próq; hac honeſtiſſima ſocietate, quam nunc vobiſcum coimus, omni loco, & tempore vobis & ſingulis, & vniuerſis paratiſſima exiſtimare debetis, quoniam id ſine ſummo ſcelere prætermittere vix poſſumus. Atq; ita quæ dixi omnia humanitate veſtra in meliorem partem accepta, atq; adeo iudicio comprobata eſſe confido.

Neminem

PRO DISPVTATIONE NON VVLGARI.
ORATIO TERTIA.

NEMINEM vestrum futurum arbitror, qui hoc institutum disputationis meæ coarguere, atque improbare audeat: nam si laude ornari non possum, vituperatione saltem carere debeo, petóque à vobis, vt hoc meum factum, si non magni, & sapientis viri, at recti hominis, & simplicis esse iudicetis. Erunt fortasse qui dicant meum magis fuisse, postquam in Iurisconsultorum ordinem sum ascitus, iudicijs vacare, & in causis hominū, controuersiisque versari, sed neque adhuc id feci, nec per occupationes meas facere licuit: nonnulli tamē amicorum, & necessariorum (si modo vlla studiorum meorū vtilitas) operam meam haud frustra efflagitauerunt. Rursus dicent me disputationem edere in hoc celeberrimo, atque ornatissimo gymnasio voluisse: alii, quia ingenium exercere meditor: alii, quia aliquā curam habeo nominis nostri proferendi, atque exaggerandi, cupiámque hac actione ianuam famæ, atque aures hominum mihi patefacere, quorum vel alterum, vel vtrunque si secutus essem, poterā etiam cōmendari. Ego tamen honestiore (ni fallor) causa permotus sum, eam postmodum vobis aperiam, efficiámque vt nihil vos cogitationum mearū effugiat: neque tamen id facerem, nisi iam præuiderem animo, quòd quantò præstantius fuerit disputationis huius institutū, tantò vehementius disputandi studium intendetur. Sed posterius id, vt dixi, agetur. Quàm magnus quámque splendidus illustrium horum virorum conuentus, quantus multitudinis cōcursus factus fuerit ad huius disputationis famā, omnes mecum videtis: ego mentes etiam vestras arrectas, & ora omnium in me conuersa cerno. Hoc, quod læticiam mihi summam prębet, & voluptatem, rursus non minori onerat cura, & solicitudine, vt talem me ostendam, qualem tanta dignitas auditorum requirit. Habet hęc

ciuitas multos, & magnos viros eruditionis amicos, quos intelligo non ad videndū me, sed ad audiendum conuenisse, quandoquidem de doctrina hominis solæ aures fidele perhibēt testimonium. Video hoc loco opinionem doctrinæ, aut in perpetuū amittendam esse, si offendero, atq; aliquid indignum egero, aut conseruandā, atq; etiam amplificandam, si vobis viri ornatissimi satisfecero, quibus maximè cupio, & debeo. Nō omnino me latet quid susceperim: suscepi ad perficiendum, suscepi quod tum propter se ipsum difficile est, tum propter alia quædam, quæ rei adiacentia cerno. Nam disputationem proponere cuiuscunq; est, & facile factu videtur, at disputare ꝓposita non pariter assero facile, nec cuiuslibet id hominis opus, sed tantūmodo prudentis: quòd si omnis disputatio grauis, & onerosa est, tum hæc omnium grauissima, & periculosissima videri debet, quæ ob inuenta nostra antiquoꝝ institutis (quantulacunq; est) tota reluctatur. adijciet & illud aliquis, quòd mihi futurum est certamē cum viris peritissimis, atq; omni doctrina excultissimis, qui se diu in gymnasiis exercuerunt, quorum nomina perpetuis vndiq; laudibus efflorescūt. Si aduersus vel vnum virum doctum scriptis eminus certare magnum est, non ne (inquiet) hoc erit maximum aduersus multos collato pede luctari, & omni ratione dimicare? Hæc ita se habere intelligo, & iuste quemlibet terreant: ipse nihilominus audebo polliceri me hodierno die tantum præstaturum, quantum postulari possit ab homine mediocriter ingenioso, sed plus quàm mediocriter a pueritia vsq; ad hæc tempora in doctrinaꝝ curriculis dies, noctésq; versato. An huc prodire potuissem? alia ratione in conspectum vestrum me dedissem? nisi in me quondam hęc studia flagrassent, nisi iam aliquod doctrinæ nostræ præiudicium emanasset, nisi deniq; existimarem cum præsentia animi, tum scientiæ munere susceptum onus explere posse. Non enim credere debui, quod daturi fuissetis vos mihi vicariū, qui partes ignoratione mea desertas, suis ipse viribus

tueretur

tueretur: quis enim, & vnde esset is vicarius? aut cur non suo nomine potius, & sponte bellaret? Non dicam elatius de me aliquid (non enim conuenit) sed tamen vt multi, ita nos quoque possumus media in acie versari, ac tela manu spargere, nec adeo inualidi, & imbecilli sumus, vt de vulnere nostro sanguis nõ sequatur. Et antea quidem si quispiam mihi ingenium, aut doctrinam tribuisset, nõ facile tulissem: nunc nescio quomodo cupio in me nonnihil esse istorum existimari, quin expetens etiam vos de viribus nostris amplius aliquid cogitare, quæso, vt mox dicendis animum præbeatis. Si qua in huiusmodi disputationibus inest facilitas, dicerem facile, & expeditum ad disputandum sumere quæ in medio posita argumentis, & coniectura huc, illuc trahuntur. Illud difficilius vnius certi sentẽtiam improbatam iam, & repudiatam clarissimis rationibus defendere: ego quæ nunquam visa dubia, quę omnes certissima habent, nec vllo modo labefactari posse credunt, in contentionem voco, ac quantũ facere potero, defendendi cæteris præbens copiam, acerrimè oppugnabo, considerate tamen magis quàm libenter. Hic clamabit fortasse aliquis, facinus istud esse improbum, flagitiosum, non ferendum, quia scilicet ineptis rationibus communia instituta conuellere aggredior: at si ita est, cur vituperor potius, quàm conuincor? atque adeo melioribus allatis de sententia deducor? quomodo vituperari possum, qui quod verum puto, id affero, & an omnino verum sit, exquiri arbitror oportere? quòd si qui sunt, qui indignum putent vt cõmunia, & iam approbata dicta refellantur, etiam si bene, rectéque refellantur, ii nimiũ timidi, vel superstitiosi videntur: ii sunt maiores nostri, qui qđ ratione nequeunt, id conspiratione velint obtinere? Nos ii sumus, qui autoritate adducti tanquam vi aliqua vrgente deprauata sequamur? Atqui hoc intelligi volo me superioribus doctoribus, qui scripta nobis sua reliquerunt, tantum tribuere laudis, atque autoritatis, quãtum præstantissimis viris debeatur, illorum

ingenio

ingenio oẽs Iuris ciuilis partes optimè constitutę sunt: laboribus demũ eorũdem adiuta valde, & subleuata posteritas. Video tamen ipsos, vt homines, & vt multiplici in opere, errare aliquando potuisse, quod si ostenditur, quid nos facere oportet, qui ponè incedimus? num sustinere gradũ, rem exquirere debemus? an pcipites labi, ne reliquos deseramus? Quid hoc aliud esset, quàm pecorũ quodãmodo ritu sequi antecedentium gregem? & ire non quò eundum est, sed quò itur? Quæ assentatio hęc, aut quæ voluntaria seruitus, vt feramus vitia, vel dissimulemus plus quàm necesse sit? enim uero quæ in ciuitate perperam finnt, ea pœnis facientium emendamus, nec iuuat cuiquã socios criminis nominare, & multitudine coniuratorum se defendere, quæ autem in iure ipsius ciuitatis constituendo perperam dicuntur, corrigere non placebit, quia errent plures? at id cõmodius fieri potest, quãdoquidem ad eam rem nullius supplicio, sed cõmutatis tantum verbis opus sit: honos hic quidẽ habeatur fidei dogmatibus, non modo, vt aliquis rationibus introductis illa conuellat, sed ne vt disputet quidem, & dubia videri tradat: cętera, quę meditationibus eruuntur, & in quodam scientię genere versantur, ad rationum momenta, vt fas est, expendantur. An non parum leue sit nudas magistrorũ narrationes veluti leges, & decreta coluisse, & inepta argumẽta, quę non ex re effloruerunt, sed de opinionũ nata sunt cõmentis, tanquã oracula quędam auscultare? Sed quid ita ago, quasi vllo pacto res dubia esse possit? non est mirandum, si audet aliquis aduersus probatissimas quondã sententias se opponere, & ratione allata superiorꝝ autoritatem repudiare: quoniam id factitatum sæpissime vel istis temporibus reperiemus, & ab amplissimo quoquo, & eruditissimo, & forsitan a pręsentibus nonnullis id aliquando factum est, quorꝝ nemo tam iniquus esse debet, vt quum ipse vetusta dicta plurium ore comprobata refellẽda sibi sumpserit, inuideat alijs idem facientibus, quum si id exemplum in se ipsum retorqueatur,

ita vt

ita vt a posteriore quopiam emendetur, nec sic quidem mo leste tunc ferre oporteret. Sed omitto recentia exempla, ne in eiusmodi re saeculi huius licentia abuti existimer. Labeonem Antistium, qui vnus fuit e vetustissimis Iureconsultis, qui nunc colũtur, & suspiciuntur, & quorum responsa legis instar obtinent, illum scimus in maiorum praeceptis nõ permansisse, sed plurima, quae posteà retenta sunt, innouasse. Stultissimum, opinor, videbatur vetustiores, & nõ meliores deligere sermones, & in autorum magis nomina, quàm in rem ipsam respicere: huius viri virtutem amare omnes, industriam imitari debemus. Nam si maiorum scripta legẽda tantũmodo, non etiam diiudicanda sunt, nullus fere prudentiae locus relinquitur: sufficit Iurisconsulto non esse cęcum, siquidem nihil nosse debet aliud quàm quòd legit. Omnis enim qui vel paululum in arte progressus sit, idem oculos habens facile poterit alienas cogitationes literis repręsentatas cognoscere: hinc ex ęquo erit omnium scientia, nõ erit alius alio pręstantior. Equidem si videã contendere inter se duos quid superiorum doctorũ quisquam dixerit, aut scripserit, non dicam hunc illo doctiorem, sed horum alterum mendosum habere codicẽ, vel nescio quod aliud insulsi erroris obtingere putabo. Vbi igitur acumẽ ingenii elucet, & prudentia despicitur? vbi scilicet quęcunq; in literas missa sunt, excutiuntur, & quid illorum verum, iustum, legitimum, quid contra, disquiritur: maximè autem excellere is creditur, qui aliquid non videntibus cęteris ipse vidit, non his quidẽ oculis corporum, quorũ vnum, & simplex est iudicium, sed illis diuinioribus mentis, qui in varia, & diuersa, & plerunq; ignorata quędam intendi possunt: possumus ne etiam, vt qđ dicimus adhuc magis liqueat, exemplum mutuare de bello, tametsi bellum horremus? possumus, non enim considerare bella, sed gerere & perpeti odiosum: nam in bello nihil aliud quàm de vi disceptatur inter contrariarum partium duces, & bellica ars scientia inferendę, seu referẽdę vis dici potest,

& tamen illic cuilibet multitudini paucitas hominũ ad vim faciendam promptior præfertur, quid ita? quia vis sola spectatur, cuius gratia bellum institutum fuit, nec auditur contraria dicens, quia rem calumniari non potest: similiter nobis, qui in iuris disceptatione versamur, Ius solum spectandum est, ad quod scientia hæc nostra respicit, multitudinem missam facere oportet, quæ sententiam imbellem habeat, vt ita loquar, & imperitam, quoniam efficere non potest, vt superius iure sit aliquod, quod verè tale non sit: sic demum colligere licet, in bello dominatur vis, in pace ius, illic multitudo vim efficere potest, hic ius nõ potest, illic in eo ipso, quod arbitrio multitudinis geritur, tamen nõ numero maior multitudo, sed quæ paratior ad vim sit & firmior, spectatur: hic in iure statuendo nihil in arbitrio multitudinis positum est, quod idoneum dici possit. Itaque quod illic non licet numero sectatorũ victoriam decernere, multò minus hic licebit. Si denique, vt bella iam omittantur, in cæteris ingenuis artibus id fit, vt res magis ponderentur, quàm autores numerentur, & elegantius quod sit exquiritur, nõ quod antiquius, ne in iure quidem ciuili id fiet? imo tantò magis faciendum, quantò reliquis artibus Ius ciuile præstantius, & ad conseruationem rerum publ. priuatarũq; magis necessarium: quã ob rem apertè loquar quod intelligo, & quod succurit haud timidè prædicabo. Nobis Iurecõsultis fortunæ ciuium sunt creditæ, ita vt non solum fidei, sed etiam prudentiæ sint commendatę: Ius enim vnicuiq; suum, sicut legibus definitũ est, & æquitate præscriptum, tribuere oportet, sed sæpe homines similitudine rerum falluntur, aut iudicioꝝ imbecillitate capiuntur: id ne cõtingat, aut nullũ, aut hoc verum remediũ est, si cõuocatis pitissimis viris, res ipsæ disquisitioni subijciuntur: nam ex contrariarũ conflictu rationum veritas tanq̃ ignis emicat: nescio etiã quid esse possit tam subdolè subingrediens, quod latere valeat tot oculorũ aciem in idem spectãtium, Itaq; si quispiam de me quærat, quid huc ꝑdierim,

respon

respondeo (liceat quæso per vos mihi libere iam inuidiã cõtemnere) Ego contentionis, ni fallor, nunq̃ cupidus, quum opinarer maiores nostros quędã perperã sensisse, aliaq̃ ne cognouisse quidã, existimarémq; quod melius videretur inuenisse, non tacitus tuli, non dissimulaui, non sententiam meã tanq̃ turpe quoddam occultaui, sed quæcunq; in mediũ protuli, & per singulas conclusiones digessi, putans verũ reperiri posse, si illa cũ doctissimis viris haud indoctus ipse cõtulissem, opamq; dedissem, vt omnia cognoscerẽtur, ac potestas esset quæ dicerentur vtranq; in partẽ cõfirmandi, vel refellẽdi: Nolui fateor autoritati soli fidem habere, & ad nutum alijs pessimo seruitutis genere obtemperare, rationũ autẽ ꝑdeuntium neruos vtraq; ex parte explorandos putabã: quid igitur fieri nunc oportet? Primum ego nõ alienam propria voce proferam sententiam, quod vatum esse dicunt, sed qualiscũq; erit sententia, mea erit, efficiam enim, vt in propositis quæstionibus quid sentiam ipse planissimè intelligatis, non asserẽs nudè singula, sed rationibus, cur ita quodq; sentiã, introductis, deinde interrogãtib⁹, refellẽtibus, atq; adeo corripiẽtibus me ꝓbebo: tũ cõtra quod videbitur, disserã, ne si nõ respondeã, libri instar habere credar. Quod si omnibus auditis, & cognitis veritas mihi refragabitur, nõ adeò ero inuẽtorꝫ meorꝫ amator, quin q̃ primũ illa deserã: quanuis erunt, vt spero, talia, quę poterunt homines nõ desides excitare, vt q̃dã subtiliore tractatu ꝓsequãtur: sin autẽ veritas ipsa ꝓ me stabit, tũ demũ in sententia ꝑmanebo, rogabo, obtestabórq; oẽs, ne omnia vetustati velint cõcedere, quã hodie multis in rebus nouitati cedere videmus: nec enim effœta adeo sæcula, vt nihil nobile pariant, nec maiorꝫ diligentia posteriorũ industrię iter obstruxit: multa accessio facta est nũc artibus, ędificia Vrbiũ, indumẽta corporꝫ, domesticã supellectilem, rẽ literariã rectius tenemus q̃ superioribus sęculis, nõ ꝑ eos q dẽ, q eisdẽ assiduè immorari decreuerãt, sed ꝑ illos, q noua semꝑ tẽtare, & minus rectè posita cõmouere aggrediebant:

pleraq;

pleraq; autem adeò excreuerunt, vt eorum tantum funda-
" menta a veteribus iacta videantur, nec mirum, nam inueni-
" endis inuenta nunq; obstabunt. Quòd si omnia antiquo-
rum hominum dicta, & facta laudare conuenit, reperiemus
antiquos homines nouarum rerum autores fuisse, & appro-
batores, & nunq; nouandi studium reiecisse, quod nisi fecis-
sent, nihil nunc, vt vetus, laudare possemus. Cur igitur non
hoc eorum factum laudamus, non verbis tantũ, sed re ipsa
illud imitãtes? rectè autem hoc ita se habet, vt nulla artium
prçcepta, nulla moꝝ instituta laudanda sint, vel improban-
da, quia vetera, vel noua, nihil enim horum simplex esse po-
test, aut perpetuũ, nam quę nunc sunt vetera, noua antea fue
" runt, & quę nunc sunt noua, postmodũ veterascent: vt cuiq;
" autem rei ratio suffragatur, perinde tanti est. Itaq; petendũ
ab his videtur, qui nimis arctè veteribus hęrent, vt nihil reii
ciant quia nouum, hoc enim & vetera sua ante habuerunt:
sed illud perspiciant, an in illam dignitatem peruenire pos-
sint noua posteritate iudice, in quam vetera illa laudata per
uenerunt: in quibus hoc inesse comperient, non existiment
oportere illis fraudi esse nouitatem, sed illa magis etiam am
plectantur gratulantes tẽporibus suis, quòd habeant, vnde
ea posteritas cõmẽdare possit. Quòd si reiiciantur inuenta
noua quamuis bona nisi inueterauerint, idest nisi hi, qui inue
nerint, mortui fuerint, vereor ne id, quod dico rationi cõtra-
rium, turpe sit pariter & nefarium. Mitto quòd inuentores
ipsi nõ tanti facient placere nobis, vt velint se perisse: sed nos
ipsi qui videbimur, quibus nõ satis fuerit de prçclaro inuen-
to nõ laudasse viuentes, nisi etiam ob probationem ingenii
mortuos eos olim fuisse petamus? Venit etiam in mentem il
lud dicere: si cõmuni totius Italię decreto statuatur (quòd
nunq; factum est, neq; fiat, & videar forsitan quid absurdum
proferre, sed liceat sic fingere) si cõmuni inquã totius Italię
consensu positũ esset in lege, ne quispiã noui aliquid vlla in
arte inferret, eum, qui id fecisset, damnaretur, & exilio, aut
qualibet

qualibet alia graui pœna afficeret, oẽs enim debere veterũ inuentis esse contentos, non ne aduersus huiusmodi decretũ acclamarent cuncti, & fremerent? indignum esse dicentes tolli artium subsidia, restingui recentium tempo℞ studia, & debilitari ingenioso℞ hominum conatum, & multi omnino essent viri fortes, qui claustra huiusmodi iniquissima effringerent, noui aliquid in lucẽ efferentes. Quod igitur impro baretur in cõmuni positum aduersus omnes, id nemo sibi statuat priuatim, vt senectutem tantũmodo in rebus admiretur, existimans per se vel alios nihil noui inquirẽdum? Et hæc quidẽ dicta sint pro meis, cur reijcienda non sint, modo vera appareant, quamuis noua, & incomitata, sed retineri debeant aduersus multitudinem, & vetustatem. Sed de his viderint cæteri: ego qua huc spe processerim, & quid facturus sim, exposui modo, & meminisse vos arbitror. Sed quid illa de me narro, quum eadem de vobis sperare liceat? nõ enim vlla in re me vobis præposuerim. Ego præcellentes viri, si nonnulli interfuerint, qui de rebus propositis veritatem me lius se scire profiteantur, hácque in re operam suam benignè præbuerint, vt doceant, gratias talibus viris ingentes habuero, propter quos lucro scientię auctior discedam nulla factà amissione alterius rei, nisi quod forsitan dum scientiam acquiro, amitto altera ex parte ignorationem, sed huiusmodi amissionem pro secundo lucro deputo. Equidem non infœlicis adeo sum ingenij, vt quum valde elaborem veritatis inueniendę gratia, hanc sponte, & liberaliter oblatam non lætanter suscepisse velim: sin quempiam nactus fuero, qui dissimulet se nosse, quod planissimè nouit, vt ludo potius quàm seriò hanc rem tractandã putet, vbi deprehendero latentẽ, nusquam illum dimittã, ceu Protheũ quendã, sed interrogationũ mea℞ laqueis arctius tenebo, donec excussus, & tot insidia℞ pertęsus veritatis formã propalã exhibeat, quã celare cupiebat, sic demũ cupiditati meæ, sic ei prouinciæ, quæ me huc attraxit, satis esse factum arbitrabor: quid enim in hoc

ipsum certaminis discrimen obtuli, si nulla veritatis inuestigandæ cupiditate ducor? Num fortasse magis inimicitiæ in hanc contentionem impulerunt? quæ nullæ sunt, nec erunt, quando, & refellere sine iracundia, & refelli sine pertinacia sum paratus. Sæpe in talibus disputationibus interfui, vbi vidi plerosque æmulationis studio, quodcunque visum est defendere, turpissimũ arbitrantes videri in tali certamine succubuisse. Sed dum veritatem obtinere quærunt, & contra veritas se tuetur, necesse est illis, vel vi, vel ex insidijs aliquid moliri: hinc multa agunt absurdè, plura afferunt molesta, obscuris inuoluunt se sermonibus, quasi argutum sit dicere quod nemo intelligat, altius inclamant, quasi vocis institutum fuerit certamen, & vicerint, si præconis laude digna gesserint. Sed non modo insanis clamoribus cœlum boare aliquando vidi, verum etiam iurgia vtrinque acerrimè tanquam tela intorquebantur. Demum ad effigiem Virgiliani carminis, fulgores tum terrificos, sonitúsque metúmque miscebant operi, flammísque sequacibus iras. Noui etiam quẽdã, qui pugnis vti volebat, atque adeo vsus fuisset, si per astantiũ coronam licuisset, quæ id fieri magno suo labore prohibuit, ita tamen, vt vix tunc etiam licuerit aduersario incolume os domum referre. Credebant tunc vulgo homines persuasum illi penitus fuisse in omni disputatione pugnos versari oportere, postquã ita illis insistere cupiebat, & erant qui dicerent illum hoc argumento commotum, quia in huiusmodi disputationibus pugnari dicitur, ideo pugnos illic esse necessarios: sed siue hoc, siue aliud argumentum ille sequeretur, non præclarè admodũ se habere visus est, quid enim, vbi non eruditis cogitationibus, sed conuitijs inuicem certatur; & dicuntur turpia, fiunt etiam turpiora pati tunc putamus auditores? Certè ex illo tam infesto certamine ira pariter ad illos peruenit, quoniam & ipsi pariter succensent sibi, quod huiusmodi homines audiendos putauerint, quũ liceret alijs in rebus melius operam collocare. Tãdem cum

nausea,

nauſea, & ſtomacho domum omnes reuertuntur. Ergò hęc abijciantur ab omnibus improbata, nemo vanis contendat ſermonibus aberrans a propoſita quæſtione, tanquam ſapientior futurus ſit, ſi multa dicens nihil dixerit, ſed verius ſapientiæ munus putet dare operam, vt aliquid concludatur. An ego, qui paulo ante ne maioribus quidem noſtris, quorum olim in Iuris ſcientia excellentiſſima merito fuit, & eſt autoritas, profeſſus ſum non cedere, niſi ipſorum ſententiæ ius ſuffragetur, nũc ferre potero alium temere quodlibet aſſerentem & clamoſis tantummodo contentionibus agentem? Non ægrè ferre debes tu, ſi victus fuerit ſermo tuus, nec ego ſi meus, quoniam non meum, aut tuum negocium geritur, ſed veritatis, quæ non ad me, aut ad te duntaxat, ſed ad omnes æque ſpectat diurni luminis inſtar, quo-“ niam & illa pariter lumẽ eſt mentis, ideò vbi reperta fuerit “ tanquam res vniuerſitatis impartienda erit his omnibus, præſertim quum non plus habeamus ſi ſoli, quàm ſi cum pluribus poſſideamus. Vt autem reperiatur agendum enixè, & eius rei gratia præclarum dimittere ſe per omnia, & nullius effugere diſputationis pondus: quicunq; hoc animo inueſtigare aggreditur, cedit inuentę veritati, & vinci ſe per eam libenter patitur, quia ipſe nunquam id egit, vt opinio veritatem obtineret: ideò nihil eſt, quod iure doleat, quin lætandi potius cauſa ſe ab inſcitia & errore mentis liberatum. Interrogo nunc eos, qui vinci turpe arbitrantur, & moleſtè fuerunt, num aliquam contraxerit turpitudinem ille, qui victis ſuis tenebris lucem alicunde recepit? Mihi non videtur, niſi forſitan turpitudo eſt lucrari, quò fit, vt quanto magis præſtet lucrari ipſum, quam alteri lucri eſſe autor, tanto præſtat diſcere potius, quam docere. Dicet aliquis tu non malles docere alium, quàm a quouis diſcere? Interrogás ne me tanq; optare liceat, vt mox habiturum optata, an habentẽ, vt nunc habeo? ſi tanq; optare liceat, malo equidẽ docere, quã diſcere, idq; contingere votis omnibus exopto,

modo contingat, si vt habētem, vt nunc habeo, præstat mihi discere in eo ipso, in quo doctrina indigeo, docere nullo modo: in quo autem indigeam, res ipsa ostendet. At enim vt quisq; videtur inferior ingenio, doctrina, literis, ita maximè irrideri solet, & cōtemni. Non arbitror id contingere in cœtu elegantium virorum, cur enim contemnatur, qui laudari etiam debet, propterea ꝙ præstitit quantū in ipso fuit, ne inquisitioni veritatis deesset: nam & si non inuenit quod petebat, studium inueniendi laudabile fuit. Est etiam alia causa cur ornetur, nam quantò illi infimi doctorum viroꝝ prædicatione crescent, tantò aliorum iudicio ascendent quicunq; antestabunt: at qui humiliores conculcant, ii occasione data melioribus detrahent, pares, si possint, submittant: hoc faciūt isti, qui se solos intuentur, nihil alteri tribuūt, nec tribuendū putant, quoniā non sua amplitudine, sed aliorū humilitate excelsi videri volunt: qui mihi vidētur dupliciter esse iniusti, quòd & ipsi minus recto cursu contendunt ad virtutem, & alios ad eius certamen calumniis efficiunt tardiores. Cęteri viderint, a me nihil erit nisi moderatum, & pudens, ne versutum quidem aliquod, & tortuosum, ne videar adolescentulorum more ingenii famā quærere voluisse. Sed neque ita res agetur, tanquam disputatio hodie tantūmodo futura sit, natura enim dies sibi ipsis vicissim succedunt, vt quod vno cœptum est die, & non perfectum, alio perficiatur. Itaque nihil est quod quisquam in re seria properans turbet, tanq; fugientem consequatur: nam consistemus, & ociosè cuncta disquirere dabitur, nec vllus omnino de temporis angustia conquerens relinquetur, sed magnā etiam disputationibus nostris adesse cupio libertatem: vbi quispiam progressus fuerit, si iniquo forsitan se loco demiserit, non his vinculis alligabitur, quasi non liceat retro volui, imo facultas erit semel dimissa repetere, & temere concessa reuocare, adeo vt cuncta & antea, & retrò, a leua, dextráque bene, & diligenter explorentur, ne quis error surrepere possit, quæ

res etiā

res etiam ostendet me vnius veritatis curam habere, cætera omnia negligere præ illius splendore,& pulchritudine. Sed iam ad disputationem est veniendum, qua nihil melius, ac præstabilius humano generi diuino munere donatum fuit. Nam nec homo sine mente,nec mens sine doctrina,nec doctrina sine disputatione vim suam retinere queunt. Hoc inter nos,& beluas est pręcipuum,quòd illæ occurrentibus applicant se rebus,nihil præterea excutientes aliud, vel prouidentes: nos verò animum celeriter huc illuc diuidere possumus,contrariásq; rationes instituere, & eodem tempore diuersa putare,a quo disputationis nomen est ductum. Disputatio secum dulcis, inter alios grata, nec audita tantum, sed etiam lecta delectat,hæc pręterea ignorantiæ hostis,erroris insectatrix, veritatem rem preciosissimã pluribus obsessam imaginibus,& fallacibus simulachris, multis argumẽtis solicitat,multa vi euoluit. Veteres illi sapientissimi,& in omniũ artium varietate præstantissimi, quum nihil esset quod scire nollent,disputationem insequebãtur animo,voce,literis,nihil sine ea confici posse credentes. Nos vero quid agemus? in quo ocium nostrum consumemus, si artem hanc Iuris ciuilis præstantissimã omnium & gratissimam illustrari, atq; expoliri, si motus mentis, quos singulariter homini natura dedit,acui, atq; incendi volumus? disputationi incũbamus, quam optimam esse studiorum limam, ingenioq; cotem reperiemus. Quòd si cessare nunc,& ociũ agere Iurisconsulti vellemus,num tamen ingens hæc multitudo,quę ad audiendum,confluxit,æquo animo pateretur? Vt enim si animãtia quędam eximiæ pulchritudinis depicta videremus,vel etiã si viua,quietem tamen seruantia, arderent cuncti motus eorum gestus, & veluti certamen quoddam videre,sic doctissimis accidit viris, vt ingeniorũ suorum motus,& excursus, qui in huiusmodi disputationibus præcipuè elucent,spectare mortales omnes auidè concupiscant, sin autem quiescãt, id haud facile patiuntur. Palęstram ergo hanc læto animo

 ineamus,

incamus, disceptemus verbis, argumentis pugnemus, omnē ignauiam e mentibus pellamus, & qui vincentur dispari cō ditione fortunæ, voluntate tamen ad optima tendendi, pariter decorabuntur. Verùm qui nunc pugnare non possunt, poterunt forsitan alias: qui possunt, velle etiā debent, si modo propositæ res dignæ de quibus quęratur, & ego idoneus videor qui cum disceptetur.

IN IASONEM MAINVM SVPREMO EIVS DIE.

ORATIO QVARTA.

MAXIME vellē viri Papienses, vt vota & desideria mentium vestrarū pondus habuissent, & felicitatis quicq̄ secū attulissent, nam & Iasonem Mainum, quem maximè diligebamus, glorię, & cōmodis nostris retinuissemus, neq̄ nunc in tanto luctu, & squalore versaremur. Verùm postq̄ infestus quidam casus virum vita, vos viro spoliauit, laudo vehemēter Papienses, quòd ad istud funus celebrandum omni studio, & voluntate incumbitis. Non enim si Iason necessitate vos deseruit, icciro vos illum sponte deseretis, nec quem viuum propter virtutem singulariter dilexistis, nunc mortuū propter fortunam inhumanè proijcietis. At qui si vnq̄ pietas, & humanitas vestra patuit, illam omnem hoc tempore effudistis: declarat enim hęc insignis mœsticia, quanti hominis vitam feceritis, hæc maxima frequentia, quàm mortem eius ornatissimam esse cupiatis. Quòd si aliquis tam immani, & effero animo est prędítus, quem viri virtus, & præsens calamitas non commoueat, non dubito

tamen,

tamen, quin studio adductus huc conuenerit, priuato in funere publicum luctum conspecturus. Mihi certe iuuat credere parietes tectorum omnium, atque templorum in huius viri occasu congemuisse. Ergo supremo die vsus est etiam Iason sua laude: nam si ad funus cuiusque honestandum studia hominum quęrun tur, maximam ciuium multitudinem astantem: si lachrimæ multorum, præstantissimi viri necem ab omnibus pene defletam: si domesticus squalor, tris insigni pietate defuncti nepotes, multósque item cognatos, & affines nobilissimos mœstissimo vultu sordidatos videmus. Quid igitur potest esse reliquum ad honorem istum funebrem adaugendum? Oratoris opinor eloquentia quæritur, qui defuncti laudes de more recensere queat, qua in re illud opportunissimè contingit, quòd non erit verendum, ne quispiam temporis causa finxisse aliquid, aut supra modum extulisse videatur, hoc peruulgato more, quo e vita lapsi, quamuis indigni, supremis laudibus decorantur: sed non refert fortasse tunc quid dicatur, sed quid credatur. At in hoc homine, quæ magnitudini rerum par, aut æqua existimationi omnium inueniri poterit oratio? Quis exornare confidat verbis, quę enarrare eloquentissimus vix possit? non debuit tamen hoc munus deseri, quoniam nulla oratoris esset culpa, si res gestæ transcenderent dicendi facultatem, & absurdum sit, si laudationis præmio, quod vnum virtus maximè expetit, & quod mediocribus tribui viris solet, ob præstãtiam iste virtutis orbetur. Ego autẽ ipse potissimũ oraturus accedo, ne voce illum mea fraudasse videar, qui me sæpe sua doctiorẽ reddidisset: debeo hoc munus discipulus magistro, adolescens seni, Iuriscõsultus Iuriscõsultoque principi. Quòd si quantũ mihi nunc inest doloris, tantũ adesset ingenii, & si impar eius virtutibus, grauẽ tamen aliquã, atque ornatã laudationẽ haberet. Sed quũ ingenium meũ mediocre sit, tantus autem mentẽ obruat dolor, vt maximi ingenii vires queat infringere, rectius flere posse, quàm dicere videar.

Vos dolor adiuuat ad ea,quæ huic funeri debentur,cumulatè præstanda, mihi autem impedimento est. Vt tamē hoc se habet,enitar suscepto defungi munere,& quantū in me erit, illaudatus iste omnino non manebit. Illud forsitan timere debui,ne hodie magnam in agendo expectationem habiturus non essem,quia nihil de me noui audietis,sed vetera tantum in hoc homine recognoscetis,cuius vitæ actiones,& doctrinarū progressus cunctis penè innotuerunt:Hac tamē re minime deterritus processi,existimans quo hominis gesta essent notiora,eo nō solum veriora videri, sed gratiora quoq; fieri posse,si illis,quocunq; modo possem,orationis lineamēta, & colorem inijcerem. Quemadmodū enim in statuis, & picturis gratissimæ sunt eorum hominū, quorū ipsi ora, vultúsq; vidimus sæpius atq; cognouimus, sic dum verbis meis vitam huius vobis notissimam depingo, id magis gratum fore cōfido,quàm si de ignoto homine verba facturus prodissem. Peto tamen a vobis Papienses,vt si de doctrinarum studijs latius loquetur oratio mea,ignoscatis, vel poti9 loco factum putetis. Eius enim persona viri nunc tractatur dicēdo,qui literarum studiis assiduè incubuit,& de illis maximam gloriam cepit. Simul concedendum est aliquid istorum adolescentię,qui Iuris ciuilis studia susceperunt,quorū frequentiam videtis,vt,quoniā omnis opera eo consumitur, vt Iuriscōsulti euadant,prospiciant iam quid eos deceat præstare,quum Iasonem Mainum, idest perfectum Iurisconsultum(talis enim ille fuit) dicēdo effingo: etenim conuenit,vt a quo tanquam a magistro multa didicerint, nūc etiam sub eiusdem exemplo informentur. Istis ergo adolescentibus iuris studiosis iubeo,vt orationem obseruent meam. Si illis videar in exponendo huius hominis gesta cunctas legitimi Iurisconsulti partes obire:hoc enim vtilitatem quandam ipsis, vt arbitror,feret,laudem vobis pariter Papien.quia augebitur etiam dignitas huius ciuitatis, quæ semper doctissimorū virorum altrix extitit, si contingat orationes graues,& literatas

ratas de disciplinarũ facultatibus in vulgus personare,quasi iam gymnasiorum parietum angustiis nequeant contineri. Quæ tamen a me ita dicẽtur,vt qui paululum humanitatis habuerint, oĩa intelligant,qui non habuerint, multa tamen, & magna huic tempori accõmodatissima percipiant: nam nisi cuncta nunc defecerunt, perficiam certè, vt neminẽ huc venisse pœniteat. Adestote igitur,vt aliquando quid sapientia vestra,atq; aurib9 dignum ordiamur. Quum Iasonem totum tota mente Papien. contrecto,existimo naturam magna illi affixisse, maiora fortunam detulisse, longe vero maxima virtutem edidisse. Nam vt ab initio repetam,claris,& generosis ortus est natalibus, patrem habuit Andreã Mainum Mediolanensem, cuius multa sunt egregia, tum illud præcipuè,quòd Picenum summa cum prudentia,& integritate rexit: superuacuum est autem dicere quàm splendida, quámq; spectata sit in vrbe mediolanensi Mainorũ familia, quũ hic amplissimos, & omni laude probatissimo viros spectetis,quorũ splendor,& dignitas vnumquenq; notos facit, tametsi ipsi afflictos se nũc,& euersos putent,nihil sibi ex veteribus ornamentis tali propinquo spoliati superesse arbitrantur. Atq; ea quidẽ,quæ ab ipso statim lucis huius exordio Iasoni contigerunt huiusmodi sunt fortunæ sibi donata munere. Nec verò in paruis ducenda sunt parentum nobilitas,familiæ dignitas, patriæ amplitudo, quæ se in vestibulo vitę offerũt decora & illustria,quibus rebus solis in reliquo viuendi spatio plurimi splendescunt, hic tamen virtute effecit,vt in se tanq; minima spectarentur. Ergo,vt ista omittamus,quę magis ornatum afferũt, quàm veram laudem, de virtutibus animi est dicendum. Et prima illa quidem pueritię,& adolescentię tempora non sine causa pretermittenda mihi videntur,harum enim duarũ ętatum obscura sunt studia: nam quemadmodũ domorum fundamenta, in occulto latent,neq; in his decor est vllus, sed firmitas tantum quędã ad sustinendũ quod superstruitur, sic in his primis ętatibus

vix ea apparent, in quibus labor sumitur, quia tunc fundamenta iaciuntur succedentium virtutum, quæ satis est esse firmissima, gratiam, & venustatem, & ornatum ad intuendum expositum non habent: quòd si talibus tamen quispiam immorandum putet, & ab incunabulis vsq; rem repetendam, dicere nos quoq; possumus verisimilia in sequentes Iasonem summæ indolis puerum fuisse, & summa ingenii velocitate pueriles illas disciplinas attigisse, adeo vt & ipse valde proficeret, & condiscipulis proficiendi æmulationis calcar adderet: his rebus magnã de se spem patri, & cognatis prębuisse, maiori autẽ spe, & lęticia omnium animos implesse, postquam animum vertit ad Iuris studia adolescẽtulus, quoniam hæc rectissimè percepta opes parare poterant, gloriam, dignitatem. At quoniam valde refert de quorum fontibus tener animus primum combibat disciplinas, hoc affuit Iasoni, quòd præceptores eruditissimum quenq; Iurisconsultorum eius tempestatis habuit: in his Hieronymum Tortum, Catonem Sachum Papienses hos, & duo huius Ticinensis Academiæ lumina, quorum etiam priorem in eius funere magnificentissimè laudauit, vt luculenta oratio ab eo edita declarat. Alexandrum deinceps Imolensem audiuit, & coluit clarissimum scientiæ fama omnium, qui tunc erant, & rebus famæ parem. Credo item Franciscum Aretinum audiuisse, qui subtilitate dicendi, & acumine quodam ingenii præcellere cæteris putabatur. Quid tum illorum voce, tum eius ingenio, & labore profecerit, ex nullo alio magis cognosci potest, quàm ex doctrina quàm perfectæ iam ætatis vir ostendit, dum vndique summis præmiis, & honoribus accersitur ad ius ciuile docendum erudiendæ iuuẽtuti præpositus, quod sanè munus magno, sapienteq; homine dignum cœptum ad extremum hoc vsq; ætatis suæ tempus extendit: de hac igitur eius doctrina paulò aliquid latius explicandum venit. Si quis vir nunc esset audax libertatem dicendi præ omnibus colens, nihil

curans

curans cætera, præter id, quod sibi verum videtur, & is inter Iasonicæ sapientiæ amatores vnus fuisset, non dubitandum quin mirificis nunc Iasonem efferret laudibus, tametsi inuidiosa, & odiosa nonnullis esset oratio. Ego verò, qui tantum tribuo reliquis doctoribus, quantum vnusquisq; sibi sumit, hoc dico Iasonem nunquam obscura, nũquam ieiuna, nunquam mutila, nũquam discerpta loquutum, sed fuisse in homine partitionem, copiam, vbertatem, perspicuitatem, viam denique, rationémq; docendi, quæ si in aliis non fuerunt, solus in illis floruisse existimandus est: sin autem fuerunt, nemine inferius hæc ille tractauit, vel primas potius vigiliarũ & laboris partes in illis ferebat, ita vt multum Iuri ciuili luminis attulerit, & eius artis studiosis plurimum profuerit. Reperiunt tamen qui huic viro non satis æqui sunt qđ obiiciant. Aliena inquiunt surripuit. imo nullo repugnãte sumpsit id, quod emendum non erat. Semper hoc in artibus contingit, vt quæ inuentu propria, vsu sint communia: itaque nunquam istum intellexi aliena loquutum, sed apta semper, & propria, vt quæ præ manibus erant, haud alio more tractari se postularent. Egregii omnino veteres, qui olim res inuenerunt, sed non ipse minori laude dignus, qui ipsorum inuenta expoliuit, & diligentius refinxit, eadem dicebat quæ illi, sed non vt eadem esse viderentur, tantum oratio pollebat dilucidè, ornatè, apte, ac grauiter differentis viri. præcipuum autem eius studium fuit, quæ incompositè tradebantur a cæteris, digerere, & idoneis locis collocare, itaque singula nunc in Iure ciuili ordine posita sunt, quemadmodum in exercitu sub suis quæq; signis suum subsequentia ducem: quæ res & inuentionem peperit faciliorem, & intelligentiã aptiorem. Quicunq; igitur huic detrahere affectans viro dicet aliena locutum, frustra id dixerit, quoniam ea, quæ aliorum esse dicuntur, iste sua effecit collectione, ordine, dispositione, & facili quodã, & explicato elocutionis genere: in his enim omnib9 præclarissimè se gessit.

Quod si omnia eisdem omnino verbis, eisdem sententijs, eodem ordine reddidisset, sicut in veterũ libris legebantur, quid tandem inter hunc virum prudentissimũ, & fatuum illum pictorem interesset? qui quum operas ad pingendum locasset, vt pictura sibi eiusdem generis alia ostẽderetur, rogabat. Sunt hęc quidẽ, & magnę laudis fuit (dixerit aliquis) enucleatè vetera tradidisse: attamen num ipse eruit aliquid, & tanq̃ ex occulto deprompsit? quamquã enim, vt verè dicam, quicquid subtiliter & ingeniosè dici potest, id a veteribus doctissimis illis viris videatur pręreptum, & nihil fere ab illis prętermissum, adeo vt valde arduum sit nouũ aliquod ostendere, & tanq̃ in vacuo vestigium ponere: attamen quicunq; huius, & reliquorum volumina oberrant, intelligunt hũc plura alio ore indicta protulisse, plura nullius attentata manu in literas misisse, oĩa retrusa, & abdita artis loca vbertas illa ingenii penetrarat, & in his quidem sic prudenter se habuit, nec minus verecundè, nam quãuis Iason esset, tamen aliorum iudicio plurimũ deferebat, omnium etiam tenuissimorum intelligerè cogitationes cupiebat, & quorumcunq; scripta diligenter euoluebat: quia sępe hebes oculus cernit quòd acutior nõ vidit: ditior fuisset omnibus, si ab omnibus pecuniam accepisset, nunc non ditior cęteris, sed doctior factus est, nullum effugiens hominem, nullum librum, vnde doctrinam decerpere possit. Quod tamen à pluribus receptum, & vsu comprobatũ videbat, id temere haud mutabat longè profectò ab his positus, qui veras maiorum sẽtẽtias obliquè, & tortuosè eunt oppugnatũ, vt ipsi aliquid esse videantur: sed isti viderint primum, an cõsentanea professioni peragant, nam ꝓfitentur ius docere, & aliud quiduis docent quàm ius: deinde quale sit hoc eorum studium discipulos in eosdem trahere errores, & ad similia facienda deducere: nõ enim ipsis male docẽtibus possent illi bene discere. Horum omnium morem vehementissimè improbabat Iason rectissimis assiduè insistens ipse maiorũ vestigijs. Vbi autem inter

eos sen-

eos sententiæ dissiderent, ad æquitatis partes potissimum se adiungebat, & ad benigniorem interpretationē cuncta redigebat, nō agens in ambiguo iure improbi more causidici iurgia vendentis, sed tanq̃ incorruptissimi iudicis vice censendum sibi esset: hinc fiebat, vt in sententia sibimetipsi assiduè constaret, quæ laus vt magna sit in hoc, efficit aliorum inconstantia, & varietas, qui sibimetipsis contraria videntur eisdem de rebus ponere, nunc hoc, nunc illud asserentes: turpissimum id certè, quia cum Ius nō sit varium, qui potest iuris interpres esse varius? necesse est in eo, in quo quis sic vacillat, aliud nomen sibi quærat, quia qui ius interpretatur, non contradicit sibi ipsi, sicut nec ipsum ius. Dedit operam Iason, ne id sibi accideret, quia quas sibi sumpserat sentētias insequendas, has graui aliquo, idoneóq; nixus argumento tutissimè sequebatur. Itaq; vnus, & idē inueniebatur omni tempore, nec loco mutato diuersa sentiebat, quasi alio vento perlatus: eadem & in gymnasiis docebat, & in iudiciis defendebat, & domi respondebat. Sed iam nō qualis doctor, sed quantus fuerit explicemus, de quo controuersia nulla esse poterit. Est ne obscurum quanti concursus ad hunc fierent, eorum qui Ciuilis scientiæ studio flagrabant. Ne sit magnū, si ex Mediolano tantum, aut ex Placentia, aut ex circumiacentibus Insubriæ oppidis ad Iasonē Papiæ animi causa adibant: at ex omni Italia, Italia dico? ex omnibus Europæ partib9 infiniti huc cōfluebant huius causa. Non debeo docere hoc, q̃ patet, nisi fortasse expectatis, vt digito ostendā quod cernitis: adsunt enim hic quāplurimi ex his etiam qui ad vltimis vsq; telluris finib9 venerunt. Cogitate nunc præterita tēpora, quæ Italia magis pacata maiori concursu floruerunt: qd' maius indicium virtutis, aut doctrinæ quærimus? Nolite putare, vt accidere possit quod interdum in fabulis legere potuistis, vt quis syluas, & saxa trahat: quas tunc syluas, quæ saxa designari putē? nisi homines feros, & immanes sine sensu aliquo bonæ artis, & doctrinæ: qui quondā præsentes voce

alicuius

alicuius capti, nunc distantes, & remoti (quod est admirabilius) nomine eruditissimi viri e suis sedibus trahebantur ad ingenij cultum istic capiendum. Non me tamen fugit etiam eos, qui nullum vsum pcipiebant, ad istum audiendum conuenire solitos, quę res autoritatem viri maximè declarabat: nec id obscurorũ tantũ erat studium animorũ, sed clarorum & illustrium. Interrogare nunc iuuaret gymnasia ipsa, si ex hoc loco cernerẽ, an superiori tẽpore Ducibus, Marchionibus, Legatis, Episcopis, Cardinalibus se ita ornata auditoribus viderint? at Iasone regnante (ita iuuat dicere) quoties, & quã crebro hunc splendorẽ viderunt. Quid nunc de Ludouico gallorũ rege cõmemorẽ? qui procerũ Italiæ, Gallięq; delecta manu stipatus Iasonẽ publico in cõuentu e sua sede docentẽ audire voluit, quũ paulo ante in Abduæ glarea immẽsas Venetorũ opes armis fregisset, atq; ita fregisset, vt telluris ditionẽ amitterent, maris tantũ incolatum retinerent. Ita'ne verò Rex ferus, & immanis in media barbarie natus, inter arma educatus, hostili cruore adhuc madens in illa ardenti cogitatione victoriæ, qua vel insolentia efferri, vel lætitia diffluere poterat, aures militũ clamorib9, tubarũq; sono assuetas, ignotis disciplinarũ vocibus dedere voluit, & sceptrũ regiũ submittere docenti? Videte qd Iasonici nominis admiratio effecerit. Nihil ex omni antiqtate possum pferre illustrius. Possidoniũ philosophũ audiuit Pompeius vt delectaretur: Phormionẽ quendã Annibal, vt irrideret: hũc Ludouicus, vt coleret, pferebat nanq; tantã autoritatẽ, quanta esse potest in iure ciuili, qđ illius ingenio fulciri putabatur.
» Hoc est scire, hoc in arte dominari, quũ oẽs homines cuiuslibet generis, & ordinis admirantur, & afficiuntur: neq; ego nunc Iuris ciuilis scientiã vix paucorũ sensibus aptã multitudini do: sed si ꝙ egregium iudicium e virtute aliquis meretur, id populare fieri volo, hunc deniq; artificẽ mea sentẽtia probo, qui non quibusdã tantũ vtilis, sed qui omnibus magnus, & admirabilis sit, ꝙ Iasoni Iurisconsulto abundè contigit.

tigit, cuius nomen non scholarũ parietibus, non huius vrbis mœnibus, non Italiæ alpibus tenebatur, sed oceani littoribus. Magnum est hominem sedentem in pace, & ocio, lingua tantũ, & stilo se cõmouentem, laude sui nominis orbem peregrare terrarũ: itaq; non multis hoc contigit. neminem tamen statuo apud exteros tam clarum fuisse, quorũ in mentibus iste nõ recipiebatur tantũ, sed familiarius inhabitabat: neq; inficias ierim non fuisse quondã, & esse nunc multos nobiles & claros Iurisconsultos: at tantã laudem, gloriam, celebritatẽ, tantam omniũ in vno homine laudando cõspirationem, de quo vnq; vidimus, aut audiuimus? Quod si prẹter hæc, quæ in specie, & splẽdore quodam sunt posita, vtilitatẽ nihilominus exigimus, quã nobis inuexit, nihil vnq; reperietur, de quo magnificẽtius dici queat, & gloriosius. Nam si in cõmuni vtile est quãplurimos hac scientia excellere, qua oẽs Europæ populi tanq; clauo ad ciuitatum administrationem vtuntur, quando vnq; meritã gratiam hæc sæcula huic viro psoluent, ex cuius officina tot Iurisconsulti ꝓdierunt, quot penè nunc sunt, & paulo ante fuerunt? hinc illi cõmunis patris, & p̄ceptoris nomen inditum: nec erat verè alius, qui vtilitatẽ discipulorũ saniori cura cõplecteretur. Ille tũ publicè, tum priuatim ad virtutis studium animos sermonibus impellebat, admonens sæpius de laborib⁹ nasci gloriam, opes, « potentiam, honores, & multa alia optanda: de voluptatibus « autẽ horũ contraria. Itaq; si iucũditatẽ vitæ, & fœlicitatẽ me« ditarentur, labores sibi esse cõplectendos. Voluptates autẽ « qcunq; sequerentur, ad infœlicẽ exitũ ꝓperare, qui illos ex« pectaret. Paruum hoc, sed nõ contemnendũ qđ nullo vnq; « clamore, nec strepitu audientiũ impelli potuit, vt de spatio ad docẽdũ dato qcquã relinqueret. Sed nec hostilis armorũ fragor mœnib⁹ instãs, tot periculis impẽdẽtibus, nec sũma senectus dolorib⁹ etiã grauis, ab illa sede, quæ plurimos instituit, deducere potuerũt: si qui tamen forte nõ aderant, iis etiam consultũ voluit, quũ præclaras illas suas cogitationes

literis

literis mandaret. itaq; nunquã hora vacua fluxit, quin mortalibus prodesset aut manu, & literis, aut voce, & lateribus. Equidem referre nunc vobis verè possum, quod illum aliquando audiebam dicentem. Vexabatur hac sua extrema ętate pedum doloribus, quos etsi necesse erat molestos videri, & graues, seni pręsertim, attamen, quoniam senectus in illo valens admodum, ac viridis fuit, continentia credo victus, tales pedum dolores se negligere dicebat, quum videret manum & linguam incolumes, ad docendum hanc, ad scribendum illam muneri suo nõ deesse. Scitis philosophos olim, qui sapientię studium profitebantur, cõtrarias scholas tenuisse. Itaq; dixerat quondã Zeno virtutis pręceptor Epicuro ad voluptatem sensuum præcepta accõmodanti, & ob id bene longam post se discipulorum cateruam trahenti. Maior tuus chorus, resonantior meus. Nemo cęterorũ magistrorum hoc Iasoni obijceret, quum ille non solum multitudine audientiũ afflueret, sed etiam sub eo militarent eruditissimi viri, & nuspiam melioris doctrinę stipendia ducerentur. At quãta cura, & intentione hac etiam extrema eius ętate doctrinis incumbebat. Pythagorei, quorum magnũ fuit in philosophia nomen, habebant hoc in eorų disciplina, vt intus manerent. Hoc si laudandum est, hac laude Iason dignus, quem non erat facile extra domesticos parietes videre, sed quemadmodũ de Pericle illo Græciæ principe traditum est, postq; ad remp. accessit, vnum illud iter carpebat, quod ad suggestum, & in populi concionem ducebat, sic Iason viam vnam nouerat, quæ ad gymnasia ferebat, cæteris temporibus domi manens doctrinarum studiis, & literis vacabat. Quòd si tantum legisset, quantũ scripsit, tantum ab alijs didicisset, quantũ cæteros docuit, tamen diligens vir, & prudens haberetur: quum verò horum studiorum autor optimus, & scriptor integerrimus extiterit, qui erunt tam ingrati, vt nõ venerentur? Ego, vt de me profitear, semper coluero, & nunc qua posśũ cõmendatione absentẽ cõplector.

Quid

Quid vos viri Papienses? Non ne omni laude dignissimũ Iasonem iudicatis? Etenim vos ille omniũ dignissimos iudicauit, apud quos domicilium suum, imo sapientiæ collocaret: nam quum antea per varia loca, & gymnasia vagus errasset, tandem, quæ vestra fuit fœlicitas, in hac vrbe consedit: quanti hoc faciendum est, quod cuncti iudicabant, quicquid Papiæ ignoraretur, id nusquam intelligi posse? Hic erant Athenæ, vnde disciplinarum studia petebantur: hic item Delphi positi, vnde certissima responsa de capite, de fortunis consulentibus reddebantur. Si qua maior in Italiæ vrbibus exoriebatur controuersia iudicum sententijs finienda, properabant huc omnes huius sententiam sciscitatum: scimus etiam ex vltimis orbis partibus plurimos venisse eadem petentes. Quicquid autem diceret ille Iuris esse, id nõ hominis voce proferri, sed ab oraculo quodam fundi videbatur. At videte maxima in causa hominis prudentiam. Cupiebat Ludouicus Galliæ Rex Iulium secundũ aduersantem eius actionibus deijcere de Pontificatu Romano accusatione criminosa in hominẽ cõparata, & eius rei gratia ecclesiasticũ cogere concilium in põtificem multis fauentibus cogitabat. Quúmque peteretur Iason Regis nomine, vt aperiret, qd sibi de iure videretur, ipse sæpius distulit, alias, atque alias innectens causas: at iam consumpta omni materia moræ, postquam etiam cogebat maior potestas, ignorationẽ suam de re protulit, eruditã tamen, & Iasone dignã: nam quemadmodũ consueuerant philosophi nõnulli veteres, qui Academici vocabantur, quibuslibet de rebus in quæstionẽ venientibus ad vtrunque disserere, & veluti explicare aduersas inter se argumentorum acies, quibus vna pars contra alterã iuuari posset, & ipsi tunc occultantes sententiam suam, liberum auditori iudiciũ relinquebant, tanquam ipsi nihil scirent finitè eorum, quæ dicerentur: sic Iason in eo, quod tunc de se quærebatur, contrarias instituit rationes, & argumenta argumentis cõtulit, nihil apertè explicans quid ipse sentiret, clam tamen innuens,

quia aduersus Regis causam longè acrius, paratiusq; certauit: sic illo prudenti consilio non passus est odioso implicari se negocio, nec veritatem planè deseruit, & Regis offensam simul euitauit. Magnus omnino Iason semper habitus, vbi de scripto respondendum de Iure esset: attamen sæpe hoc vsu euenit, vt iniecta ex tempore mentione de Iure quodam ambiguo inter amicos, ille statim quod quisq; superiorum doctorum, & quibus argumentis censuisset, dissereret, nec id tantum, sed etiam vbi scriptum reliquisset: tum demum quid tenendum vt melius iudicabat, admirantibus cunctis, quia memoriam cōmentarij vice habere videretur. Et de doctrina quidem, quam ille in Iure ciuili habuit hæc dicta sint, a cuius equidem contemplatione non facile diuellor tanq; a signo perpulchrè depicto, nisi quòd ad alia inspiciēda properare oportet. Neminem enim existimare velim Iasonem in Iure ciuili summū virū, in cæteris rebus quorundam exēplo puerum, & emortuū fuisse, qui vnus ad omnia agenda, atq; intelligenda consilii, & ingenii altitudine fuit paratissimus. Et quoniam de reliquis eius literatis studijs libet primum dicere: quid in poëtis, quid in oratoribus, quid in philosophis, quid in historiis, & antiquitate inueniri poterat, quod illi nouū, & incognitū videretur? ad pleniorē nanq; Iuris ciuilis cognitionem omnia doctrinarū præsidia vndique collegerat, idq; veterū Iuriscōsultorū more: nam in eorum responsis vident omnes multa de aliarum scientiarū intimo recessu petita, vt facile appareat ipsos nulla in re fuisse rudes. " Est enim inter ingenuas artes nodus quidā cognatæ concordiæ, & vna quæq; earum alteri vocata facillimè respondet. Hoc cognoscens Iason vetus illud renouauit exemplum, cui non satis fuit Iuris scientiam adipisci, nisi reliquas artes peragraret, & totam (vt sic dixerim) cognationem amplecteretur. Hinc quæ in homine eloquentia? non infima vt vulgaris, non verbosa vt futilis, sed grauis, & sapiens, optimisq; sententiis affluens, vt quæ a pectore venie-

bat rerū

bat rerum vsu instructo, magnarúmque artium varietate ornato: hoc cum vos sæpius cognouistis, qui dicentem magno concursu, maiori admiratione audire solebatis: tum etiam Roma intellexit, quæ pariter mirata loquentem, quū Pontifice maximo sedente disertissimo viro, qui forte defecerat, imperterritus ipse successit: quo tempore animos omnium casu illo commotos, & ab audiendo auersos summa vi, & grauitate orationis ad se conuertit, & tanta cum omniū admiratione perorauit, vt sermo deinceps non de eo, qui defecisset, sed de eo, qui tam bene dixisset, consequeretur: dignus certè orator Roma, sed illa vetere, quādo eloquentissimorum virorum ingeniis abundabat. Iam videtis qualis Iuriscōsultus Iason fuerit, qui nō solum in suo, sed alieno etiā artificio præstitit. Nec verò reliquis in rebus facile quenquam habeo, qui anteferendus videatur. Non illi morum grauitas, non formæ dignitas, non in sermone familiari lepos atque vrbanitas defuit, non ingenii acumen, non solertia, non infinitarū rerū memoria, non in agendis consiliū prudens, nō in antefactis exactissimū iudiciū. Denique rebus in oībus peritus ille, & comis, & elegans habebatur. Eripuisses homini Iuris scientiam, at tamē inuenisset quiuis in eo vnde totū diem secū suauissime duceret. Multa me puero ferebātur ab eo dicta grauiter, & eleganter, multa etiam vrbanè, & festiuè: vnū referam, cuius adhuc memini. Quū Iuriscōsulto cuidā designato insignia honoris traderet, & eo ventū esset, vt illi librū clausum proferret, & apertū, quod est vnū e solēnibus, dixissétque id fieri vt ostēderetur Iuriscon. oportere iustas causas defendere, iniustas prætermittere: hoc, inquit, & si cōprobo, attamen quoniā Iuris ciuilis ars vna omniū reliquarum fert maximè ad quæstum nō honores solū, & gloriam, sed pecuniā quoque vberē Iuriscon. tradere parata, hicque sit finis nō artis quidem, sed hominū artem petentiū, videndū est num hoc libro clauso & apto significetur Iuriscōsultū pecuniā facere posse vtentē artis munere, & nō vtentē: nō enim solū in clamore, sed in silentio quoque

lucrum versatur, quod ostendit notissimo exẽplo orator quidam Græciæ nomine Demades, cui quũ alius gloriabundus diceret, se ob orationem quandã habitam ad populum, ab his quorũ intererat, ingenti donatũ pecunia: intellecto deinceps pecuniæ pondere, ne mireris, inquit, si loquendo hoc elucratus es, quia ego, vt tacerẽ, plus accepi. Similiter Iurisconsulto contigit sapienti, vt mercedẽ ferat, non modo vt loquatur, sed sæpe vt taceat. Ideò ad eius rei notã Iuriscõsulto dum nascitur, clausus traditur illi liber pariter, & apertus. Hoc quũ dixisset ille, omnes, qui aderamus illo in conuentu iuris studiosi (& aderamus frequentes) arrisimus festiuè dicto, nec iam sapientiam hominis, sed vrbanitatẽ admirabamur. Hac ratione effectũ est, vt multi ad eius familiaritatẽ studiose se adiungerent. Et floruit etiam ipse amicitia Principum maximorũ, & eius operam in nobilissimis legationibus, amplissimis magistratibus, enituisse scimus. Multi quõdam fuerunt, atq; etiam nunc sunt (de nostri ordinis hominibus loquar) qui ita in literis, & ex literis viuunt, vt nullam præterea ad rem sint idonei, doctrina valent, sed animo nulli reperiuntur: quorum omnium omnino dissimillimus Iason, qui maxima quæq; semper, & grauissima tractauit. Nam, vt mittam cætera, nuper illum vidimus in quatuor viris vnum fuisse, qui Imperii Mediolansis statum bellorum incendijs fluctuantem prudentia consilióq; firmaret. Sic legimus Paulum, & Vlpianum Seueri Imperaroris hortatu ad Remp. Romanorum superiorum principum vitio labefactatam restituendum accessisse, vt horum antiquissimorũ, & nobilissimorum Iuriscõsultorum Iason simillimus fuisse videatur non tantum ingenio, doctrina, eloquentia, sed fortunę etiam conditione, & rebus gestis. Iam verò illa, quę ad mores pertinent, & vnicuiq; bono adesse conuenit huic pariter viro abunde affuerũt. Quę nam hęc? æquitas, modestia, humanitas, in quoduis hominum genus, charitas in propinquos, in hospites benificentia. Neminẽ sciens affecit iniuria,

afflictos plurimos ope sua subleuauit, sacra castè coluit, religionem ardenter adamauit, bonarũ artium studiosis fauit, egenis misericorditer se præbuit. Hanc ego præstantissimã in omni genere virtutem tantò libentius apud vos profero, quantò in vestris positam ardentius amare debetis. Tametsi per genera tantum, & notas quasdam decurrit oratio, nam si sigillatim commemorare velim omnia, nox astra ostenderet, quæ facilius possem enumerare, quàm singula, quæ in Maino plena laudis, & dignitatis fuerunt. Summatim autẽ dicendo videri possum ad vltimos laudationis fines peruenisse. Quomodo enim possum ostendere virum magis egregium, quàm dum doceo hunc in arte maxima principem extitisse, summos honores & magistratus innocenter gessisse, nullarũ literarum scientia non instructum, & multo rerum vsu edoctum. Est tamen adhuc aliquid, quod huic laudum cumulo addi potest, idq́; vel maximum: nam ob tantas animi & ingenii sui dotes nemo Iasonem intumescentem vidit, nihil ille de se elatius prædicabat. Sæpius audiebamus dicentem, si mala essent, quæ diceret, sibi id ascribendum, sin bona, gratias deo agendas. præclara oratio: sciebat enim vir prudentissimus cuncta bona sibi, & alijs de infinitæ, & æternæ bonitatis pelago fluere, & in illud refluere quodãmodo oportere, ideo nõ respiciebat in se, sed in eum, de cuius munere talis esset, huic enim studebat, & quicquid erat, accepto ferebat, nec vt de suis gloriabatur quæ diuinitus sustulerat. Vereri autem iam incipio, postquam in hunc sermonem incidi, ne superiora nimis extulerim. Omne naturæ bonum angustum est, vile, & fluctuans, & nulla æstimatione dignum, demum miseria plenissimũ, nisi ad deum referatur autorem, & illic charitate mentis affigatur: tunc enim quod diuinum est humano, cui adiungitur, suæ dignitatis aliquid impartit, efficitq́; vt amplum, stabile, pretiosum, & fœlicitatis compos inueniatur. Sint igitur humana hac ratione magna, & ingrediamur auxiliante Deo virtutũ

veramq; semitam iisdem vestigiis, quibus Iason viuens institit, & nunc discedens nobis reliquit. Nunc ad vos Adolescẽtes iuris studiosos, quos initio iussi me dicentem obseruare, mea spectat oratio, hic terminus, hæc meta cogitationũ vestrarũ, vt Iurisconsulti efficiamini, qua dignitate me paulo ante ornatũ videtis. Veruntamen si id tantũ nobis datur, vt litibus assistentes possimus actiones instituere, exceptiones ꝓducere, iudicia postulare, Iurisconsultũ me nec esse, nec dici gaudeo: quũ infimos homines sine doctrina, vsu tantũ quodã ad hibito, hæc quotidie sistere videamus. Sed si nostri muneris est pro iustitia inuigilare, cũctáq; ad certã æquitatis normã dirigere, vrbes regere, sceleratos opprimere, iura gentibus dare, volo eos, qui tam graue induunt personã, pluribus artiũ subsidijs instructos venire, nec spectari tantũ cupio quid necessario exigat iuris ciuilis facultas, sed quid homines hac prçditos autoritate deceat, maximéq; insignes reddat. An rabulæ potius eiusmodi esse volumus, qui literulis quibusdã instructi, seu potius inflati, nihil pensi habent, nihil considerati, clamare tantũ possunt, & audere? Quis eos præterea non vituperauerit Iurisconsultos, qui futura nequeunt prospicere, negocia tẽporibus nesciunt moderari, domestica cõponere ignorant: quanq; fortasse admirabitur aliquis, accusari naturæ ruditatẽ posse: sed potest, quia valet strenuus vir ineptã naturã diligentia & exercitatione corrigere, & ad meliora conuertere. At qua nõ iam vituperatione, sed pœna digni, qui voluptatibus, qui pecunia, qui cæteris cupiditatibus superãtur? Vobis verò optimi iuuenes, si dignũ aliquod efficere cogitatis, libri cuiuscũq; generis voluẽdi, & ingenuę artes pernoscendæ, multa vsu periclitanda, mores ciuitatũ, sensus ciuiũ tenendi, nihil qđ in consuetudine versetur ignorandũ est: nõ præcipio quòd ꝑstari nequeat. Omnia desidi grauia, laborãti nihil inuium. Vbi mos ille vetus, quũ ad Iuriscõsultos domi sic adibatur, vt ad eos non solum de Iure, sed de omni officio, & munere referrent? nam siue fundus

emendus

emendus,siue filia collocāda, siue quid eiusmodi rerum gerendū erat,consilia a nostris suppeditabantur. Nec solū peritos in omni genere esse oportet,sed graues,fortes,magnanimos,& maximè iustos, ne in alienis causis iusticiæ patroni, in nostris illam conculcemus: his qui erit virtutibus instructus,sine quibus neminem virū puto,poterit quæcunq; sibi credita p̄clarissimè administrare. Sic erant maiores illi,a quibus ius ciuile cognouimus, quorū opera & consilio difficillimis sæpe tēporibus reip. subuentū est: non enim circunspiciebāt se,& magnopere diligebant,si iura tenerent,sed indignabantur & molestè ferebant,nisi etiā excellerent actione, & vsu rerū: quapropter Imperijs,magistratibus,& hominibus aliis suscipiendis se ipsos agendi dominos constituebāt, neq; hanc facultatē aliis libenter dimittebant. His ego volūtate proximus: facultate, si quisq;,is fuit Iason. Me miserū, quia cogor dicere,fuit: antiquitatis enim facta laudo,& admiror,atq; in præsentis sæculi viris odorē etiam diligo. quid mihi nūc faciendū est, quū Iason ęui prioris verissimū exemplar in ea arte, quam præ cæteris colui, conciderit? hoc me nimirū peruertit:sed quid me? neminē esse arbitror tanta in ciuitate, qui in huius viri occasu incolumē se credat,quis nō ingemiscit, & non ardet dolore, quū prospicit vberrimum hunc doctrinarum fontem exaruisse? inuitus dico, sed difficile est animaduertentem in miserias, quas incidimus, non dolere,dolentem querelis non indulgere. Ego quondā adolescentulus habitaui vobiscum,nam dum studiis meis magistrum quærerem, non fuit dubitandum, quin ad vos,idest ad Iasonem semita trita decurrerem:audiebam studiose virū,præsertim merito iam ætatis grauem: mea quippe adolescentia senectutē illius appręhēderat. qui tunc huius Academię splendor? quanta dignitas? tot nobiles,tot principū filii, tā studiosa iuuentus,tanta autoritate magister,hæc quę paulatim defluebāt,nunc huius interitu funditus occiderūt. Te deploro Ticinēsis Academia,quę diuina illa vocis grauitatę

& tanta ingenii magnitudine fueris orbata: tua dignitas immortalis esse debebat, quæ in vnius mortalis anima fixa penè tota fuit. Quẽadmodũ posteriore Scipione domi interfecto Q. Metellus exclamauit Romanæ vrbis mœnia concidisse: sic in huius doctissimi viri occasu gymnasiorum parietes, intra quos ille docebat, corruisse dicendũ. Nón ne etiam oraculũ illud, qđ tanta cura consulebatur, euanuit? quid nobis reliqui fortuna fecisti? amisimus Iureconsultũ, oratorẽ, senatorẽ, ciuem gloriæ nostræ natũ: plures in vno sublati: sed illud præcipuè quærendũ, quòd clarissimũ Iuris ciuilis lumẽ extinctũ est: hoc dolorem omniũ gẽtium & lachrymas iure potest cõmouere. Quomodo regna, ꝓuincias, gentes terrarum vltimas, ad quas Iasonicæ virtutis fama ꝓuenerat, accepturas istud, & laturas putatis? quomodo Italiã ipsam, quæ semꝑ optimarum artium voluit esse magistra? Itá ne verò præstantissimũ viri ingenium, doctrina omni redundans, quòd efficiebat, ne hæc ætas superiora sæcula miraretur, & ipsa venientibus sæculis admirationi esse possit, hoc inꝗ a terris ablatũ fuit? Vix cogitari tanta calamitas, ne dum credi posse videbatur. Té ne etiã venerãde senex illo loco exanguem aspicimus, & iacentem? vbi ille membrorum rector, & informator spiritus? abijt oculis nõ agnoscendus nostris, relinquens tamẽ eisdem, quod cum dolore viderent. O miserias humanas, & mortalium cõditiones fluxas, atq; caducas. beatissimi anteà videbamur, quod Iasonem non solum diligere, vt cæteri, verùm etiam videre quotidie, & complecti præsentem possemus. En quo omnia reciderunt, vt cuius imaginem deformatam nemo, nisi ferreus esset, aspicere valeret, nos nos illum extinctum cõtueremur. Viget profectò mentibus vestris acerbissimus dolor, tales omniũ oculi, tanta flendi est concordia. Videndũ tamẽ viri Papienses, ne hæ lachrymæ, hæ querelæ, quæ nunc piæ, & officiosæ videntur, si diutius insederint, atq; inueterauerint, molles, & effæminatæ dicantur, nec non aduersus Deum impiæ, quem diutino luctu in inui

diam aliquã vocare videremur, quòd immortalitatẽ suam cum homine partiri noluerit. Ille nanq; homini vitam commodauit, non donauit, cúmq; non mundi dominũ, sed inquilinũ esse dedit. Itaq; migrandum huc aliquãdo, & qđ datum est, repetenti dimittendum, & vt semel dicam, cuicunq; viuenti moriendũ: sicuti impossibile est mori quempiam, qui non vixerit, ita viuere quempiam, qui non sit moriturus. habent hoc viri fortes, vt oppressi non concedant palmã de fortuna ferentes. Sed si tantũ roboris animo non tenemus, vt aduersa viriliter negligamus: at æquitatis aliquid inesse debet, vt putemus quęcunq; acciderint humanitus, ab hominibus humanè ferri oportere, neq; tantũ dolori esse dandum, vt omnẽ pacem de pectorib9 euellat: nisi fortasse Actęonis imaginem gerere satagimus, si vt illum proprii canes, ita nostrę nos curę discerpent. An mordaces etiam hos alemus canes, ac nõ potius prudentiæ telo irruentes procul agemus? Quid est enim, quod tali in re vęhementius nos conturbet, aut grauius torqueat? amisimus Iasonẽ, sed ante habuimus: ereptus est, sed prius datus, quorũ vnum necessitatis fuit, alterũ (habuisse dico, & possedisse) magnę fœlicitatis. Estote confirmato animo Papien. ac renouato: nihil tristius contigit: imò audeo dicere fœliciter omnia. fauit fortuna, quę clarissimũ, & pręstantissimũ virum huic vrbi potissimũ delegauit: natura, quę hominem, quem excellẽti ingenio armarat, diu terris ac nobis reliquit: nisi fortasse indignamini, quòd hoc loco fata sua peregerit. Vllá ne in regione dignius cœlum, quod doctissimam animam, quam pridie efflauit, exciperet, quàm hoc, quo illam duxerat? vllis locis dignior humus, quę membra tantorũ operum administra tegat, quàm hęc, quæ diu aluit, & sustentauit. Videte, ne non pium modo, sed etiam gloriosum sit habere vos talis viri sepulchrũ, vt non solum cõmemorari, verũ etiam aperto indicio ostendi possit, quãto Iuris interprete hæc aliquãdo ciuitas floruisset. Stulta est, ac fatua illa cogitatio, si quẽ fortassis inuasit,

egregias fortunas magno labore partas reliquit. Quid? tu
» non intelligas hæc fortunę bona, quibus fruimur, sæculi esse
» non hominum? Nemo nostrum in hanc lucem veniens ali-
» quid afferet, haud dubium quod discedens nō aufert etiam
» quicquam, pręter vitam piè, & innocenter actam. hoc quod
» propriè nostrum est, non deserit, nam diuitias possidemus
quodammodo alienas, nam eas anteꝗ̃ huc venimus, alius
habuit, & alius igitur postquā hinc discesserimus habebit.
Ego Iasonem diuino nunc consilio ereptū existimo, qui tan
diu nobiscum fuit, quàm illi licuit optimè, & ex sententia vi
uere. Multa anteà iucunda contigerant, atꝗ ita vt essent iu-
cundissima, illustres honores gessit non extortos dolo, non
precibus efflagitatos, sed vltro dignitati suæ delatos, præcla
ras bonorum omnium facultates possedit nulla ambitione
fortunæ, sed virtutis merito comparatas. At hæc communi
motu temporum labefactari cœperant, vt non omnia sibi
in tuto essent: vna cœli conuersio multoties totius anni fru-
ges aufert. quid? vna fortunæ offensio nónne sæpe totius
vitæ suauitates euertit? multa iam effugerat iste discrimina:
nonnulla fortasse etiam impendebant, a quibus si mors il-
lum eripuit, non videntur vota pro salute eius suscepta sine
aliquo diuino numine fuisse superata. Tametsi illud afferri
potest, quod ad exarmandas querelas valet plurimum ho-
minem penè octogenarium nimia maturitate, nulla vrgen
te vi sponte sua fluxisse. Quid iam plura quæram, quibus
vos verè solari possim? nescio an idem sentiatis. Ego certè
quò mala plurima deuitarem, plenus annis, plenior gloria,
cuperem decedere: non mihi tunc in morte ipsa proditus
aut circunuentus viderer, quandoquidem susceptum vitæ
munus abunde expletum foret, hoc certè Iason in eius di-
» scessu dixisse potuit amicis. Viuite vos, quibus multum su-
» perest annorum, & rerum gerendarum, mihi satis est quan-
» tum vixi vel ad ætatem, vel ad gloriam. Ego veluti optimus
» actor e vita tanquam e theatro conclusa iam fabula, & red-

dito plausu discedo. Hoc si dixisset ille, nón ne recte loquutum omnes putarent? Quæ si ac dico, contra essent omnia, si iuueni, si ad summas fortunas florescenti vita fuisset erepta, nascentiq; laudi extincta, tamen talis vir, illa prudentia nunq̃ nisi commode occidisset. Mortis commoditas, non tam ex cuiusquā tēpore, quàm ex animo ponderanda venit: nam stultis, & insipientibus, quibus hæc terrestria nimiū placuere, atq; hæc mortalia non vsui, sed voluptati fuere, mors est necessaria: sapientibus verò, inter quos hic fuit, semper cōmoda, qui corporibus humi strati cœlestia semper spectauerunt, atq; hac terrena corporis mole tanquā sarcina grauiore deposita de caligine ad lucem, de tempore ad æternitatem, de militia ad triumphū ascendere arbitrantur. Enim uero si hoc sæculo cogitans Iason perpetuo frui, elaborasset in eo, vt nunquam terras & hanc hominum sedem; desereret, irritum & cassum laborem dicerem susceptum, operámq; frustra consumptam dolerem. Sed si assiduè huc ille spectauit, vt quum e vinculis corporis euolauisset, in lucidissimā illam cœlestis patris domū facili lapsu euaderet, beatus cum Dijs futurus, videns per virtutis opera id nos posse, si velimus, adipisci, & quū adepti fuerimus, sine cōmutatione & amittēdi metu obtineri, quomodo nō gaudendū potius hoc tēpore in tanto amici bono? An dubitādum quin alio in sęculo malos innumera excipiāt pœnarū genera, boni pulcherrimis pręmijs ornētur? ideò alteros dicendū est periisse ex his locis ad inferna supplicia reuolutos: alteros verò superesse, qui hęc relinquētes, longè meliore vita cœlestibus in oris detinētur. At si quis bonos, & impios simul morientes viderit specie quidē nihil inter illorū mortes differre animaduertet, quū re tamē plurimū differant, veluti pictus, aut cęlatus coluber p omnia forma similis vero est, sic afflatū veneni minat, sic morsu inuadere putat, cęterū sine vita, sine spiritu, sine motu manet, nihil horribiliū eorū explicat, q̃ pręseferebat, innoxiū & mortuū malū illud est. Haud aliter mors, q̃

verè impios absorbet. hæc sanctis hominib9 mortua est, horridum tantūmodo, & infœlix simulacrum, viribus vacuū, & inane: non enim moriuntur illi, quin ad æternā potius pacem, fœlicitatémq; transmittuntur: his enim ab hoc sęculo abeuntibus immortalitatis patet atrium, vbi immensis obruuntur gaudiorū vndis de fonte potantes conspicuę deitatis. Quod si fœlicitatis tantæ afferunt fructum sui cultoribus iusticia, religio, bonitas, fides, credendum est hunc Iasonem tali quoq; ab Imperatore cœlesti donatū munere. quis ergo conqueratur, quum vitam non amiserit ille, sed cōmutarit? & cōmutarit non solum ad sui rationem, sed etiam ad nostram? nam qui pręsens quondam habitabat in oculis, habitabit nunc absens in memoria, quanq; id erit commune omnium gentium, omnium sæculorū: quę enim obliuio, aut quæ tanta Iasonis nomē delebit vetustas? nō tam facile hæc laus, qua fertur per ora populorū, extinguetur, quum sit fidelissimis monumentis consignata. An ignoratis quanta in Iure ciuili electa volumina reliquerit? illis Iason spectabitur, illis loquetur, illis audietur. Non sine iustissima causa sapientes viri, qui id præclarè facere potuerunt, literis conficiendis enixè se tradiderūt. scilicet ardentiori animo imperia, honores, diuitiæ appetentur, quæ semper hæredem, semper successorem expectant, scripta pulcherrima negligentur, quæ eundem continuo autorem & dominū præ se ferunt? & magnum erit imaginem corporis aliena materia & manu expressam locis cōmunibus affigere, effigiem ingenii a se profectam, & intra se ipsam vertentem palam literis impressam tradere, pro nihilo habebitur? præsertim quū statuæ, & huiusmodi generis alia multos casus per se subeāt, & vt omnia succedant, die ac vetustate delentur: non possunt igitur producere memoriam, & conseruare vitam, vt sic loquar, nominis diutius ipsa breui intereuntia, solę literæ manent incorruptæ, aduersus quamlibet cōtumeliam perdurantes. nam multos scimus nō solum suis temporibus, sed pluribus post

sæculis doctrinę laude floruisse, atq; adeò florere hodie vide mus, qui conditi humo perpetuis operti tenebris iacuissent, nisi quæ pręstantissimis ingenijs perceperant, & assiduo studiorum vsu tractauerant, tutissimę literarum custodiæ demandassent. Itaq; qui numerosa Iasonis volumina diligētissimè confecta viderint, poterunt ne de huius viri immortalitate dubitare? Dum Ius ciuile stabit, erunt iudicia, contractus fient, testamenta condentur, dum acer actor, fugax reus, & vterq; cōsultum sibi cupiet, Iason manebit, celebrabitur, co letur, & vt dicam aliquid magis admirabile (quod ita tamē accipietis, vt a me dicitur) nunq̄ mortuus morietur. At qui hanc spem immortalitatis nō inter Deos tantum, sed etiam inter homines futuræ, de qua nos dubitare minimè cōuenit, decedentem secum tulisse crediderim: nam quę exactissimè conscripsit, ab omnibus recepta, iis spatiis peruagantur, quibus Romana iura coluntur, in gymnasiis, & iudiciis passim circunferuntur: hoc ille præsens magna cum voluptate nouerat: additum est etiam, quod in singulis eius præscriptionibus quid cæteri opinarentur, perspexit: ita vt viuens posteritatem suam quodāmodo spectarit. Non ergo extinctus est qui viuit ea parte, qua se superstitem potissimū cupiebat: superesse enim cupiebat laborum suorum monumēta, superesse memoriam nominis, superesse effigiem ingenii sui: vigebūt hæc penes posteros, vigebunt præcipuè nobis, quin in medullis potius, & visceribus hærebunt. Mulier quædam interrogata quonam modo viri, quē totis præcordiis dilexerat, discessum ferret, facile (inquit) mecum adhuc ille manet: hærebat opinor mariti imago crebrò dicta eius ac facta repetē ti. Quāto hęc vos verius facietis? alii quæ de Iasone audie rint memorabunt, vos quæ vidistis silebitis? cæteris propter virtutem erit gratus, vobis ne propter beneficia quidē erit acceptus? vt sint hęc, quę esse non possunt, certe nunquā hoc nomine carebitis, in quo tota penè gloria huius ciuitatis consistit: in omnium ore Iason, in omni loco, & sermone versabitur, &

bitur, & frequens cogitationibus vestris assidebit, ita non multũ relinquetur, q̃ oculi requirant. Mihi nunc etiã reuolvẽti animo Iasonis virtutes videtur q̃ debuerit Italia omnis huic viro nouos aliquos honores decernere, vel saltẽ veterẽ in eo statuarũ morẽ renouare. Enimuero per has statuas Ius ciuile ornatũ nõ ingratũ nancisceretur, hæc ętas honestaret, studiosis ęmulationis cura accederet, Iasonis amatores desiderii sui lenimen inuenirent: p libenter igitur viderẽ memoriam Iasonis publico aliquo insigni monumento honestatã, quod tamen ipse Iason, si adesset, sua causa non expeteret, sola contentus opinione virtutis, quæ nunc viuentiũ pectoribus infixa, posteris deinceps tradita ipsa magis vetustate florescet. Omnis error, si quis offusus est mẽtibus vestris, abradetur, si q̃ iam diu ago, pspicere volueritis, non esse vitã hãc hominis, quę spiritu & sanguine tenetur: si hoc est, pudet me conditionis nostræ, imò naturã ipsam pudeat, quæ quũ ceruis, & cornicibus, & aliis bestiis plurima ad viuendũ sæcula concesserit, hominẽ, quem singulariter dilexisset, quem tot eximiis rebus ornasset, primũ statu, deinde vultu, deinde voce, deinde (quod præcipuũ est) mente, quem denique animãlibus præfecisset, rerum dominũ constituisset, hunc tam cito destituere voluerit, & vix vnius sæculi spatio concludere.

» Sed profectò ita res se habet, vt hæc vita, quę per membra
» diffunditur non sit hominũ magis quàm beluarũ, a quibus
» etiã in viuendi spatio superamur. Illa igitur verè vita est no-
» stra, quã animus virtutibus ornatus, vbi ex hoc corpore dif-
» fugerit, suscipit, beatũ cum diis immortalibus agitãs ęuum.
» Sed & illa etiã ad nos pertinet vita, quæ de virtutis luce re-
» fulgens grata mortaliũ recordatione cum omni penè posteri
» tate adæquatur, ad quam nisi vigiliis, & laboribus susceptis
» perueniri non potest: nam qui se totos ventri, luxui, inertiæ
» tradiderunt, qui voluptatum curam, somni partes suscepe-
» runt, paruam, aut nullam sui memoriã relinquunt, his mors
» tanq̃ somnus æternus incidit. At qui pro cõmunibus com-

modis elaborarunt, & studiis dignũ aliquid gesserunt, hos « mors non lędit, imò plerunq; reddit clariores, tollunt se e se « pulchro, uictoresq; per ora uirum uolitãt, & in ęternitatem « penè nomen suum proferunt. Neq; solum eorum dicta, aut « facta studiose legimus, memoramus, audimus, sed sęcula, quæ genuerunt, loca, quæ incoluerunt, uestigia propè, quæ presserunt, beata uocamus, tantũq; abest, ut mortuos infœlices iudicemus, ut etiam sepulchra eorum, queis conditi iacent, uisenda, ac ueneranda putemus. Atqui horum summorum uirorum uetustissimis temporibus maior erat copia, nunc in tanta penuria Iasonem uestrũ talem extitisse, quàm Mainis honorificum, huic sæculo præclarum, tam uobis Papienses iucundum esse debet.

IN IVS CIVILE, ET PONTIFICIVM, & ad discipulos, ut studijs incumbere uelint.

ORATIO QVINTA.

SIQVIS uestrum nunc adsit, qui forsitan miretur, quòd ego, qui iam plurimos annos in foro uersatus sim, operãq; assiduè in hominũ controuersiis nauarim, nunc ueluti cõmutata ratione uitę, legendi munus susceperim: is sciat, ut mirari desinat, me hanc instituendi, docendiq; prouinciam lõgè omnibus semper p̃tulisse, eósq;, qui id munus obirent, honore omni dignos putasse. Itaq; nunq̃ mihi uolũtas, aut iudiciũ defuit huius prouinciæ capessẽdæ, sed multa impedimento fuere, quæ enarrare nimis longum, & forsitã ineptũ esset: hanc autẽ occasionẽ nunc primùm oblatã dimittendã nõ putaui. Nec uerò q̃ in iudiciis detritus sum, uideri debeo ab hoc docendi, interpretandíq; munere alienior: nã nõ aliunde iudicia rite celebrantur, q̃ ob disciplinã, quæ de scholis sumpta illuc affertur, nec alia ratione scholæ docent, nisi ut q̃ istic pcipitur, in iudicia proferatur: nemo, ut opinor

incumbit

incumbit huic ſcientię,vt ſciat,ſed vt vtatur,& exerceat:nec huius ſcientię terminus eſt ipſa ſcientia, ſed actio. Itaq; optimè ſcire exiſtimãdus eſt,qui optimè vtitur hac ipſa ſcientia ad id,ad quod inuẽta,& comparata fuit, nec metuendũ eſt, vt quicunq; in forenſi cõtrouerſia aduerſarios reuincens docere poteſt iudices,quid iura velint, is facilius efficere id nõ poſſit in auditorio iuuenũ fauẽtium, & proficere cupientiũ. Quòd ſi alicui forſitã videar me ſerò id agere iam ętate prouectũ,ea res,nec me,nec alium quenq; debet cõmouere,niſi vt faueat ſuſcepto muneri, quoniam non quęruntur hic corporis vires,ſed ſapientia,& rerum vſus,quę caneſcentis iam ætatis propria ſunt munera. Nihil autem impedit in imbecillitate corporis,firmitatem adeſſe animi:& rectè facit quicunq; in me non hanc externã hominis figuram conſiderat, ſed illam internã, quæ ſola diuina eſt in nobis,atq; cœleſtis, & qua præcipuè valemus. Romæ olim virgines veſtales ſic diſtributa habebãt tẽpora,nam prima ętate,qua ſacris initiabantur,nullũ aliud obibant munus, niſi q; diſcebant ſacrificiorũ ritum,& omnia,quæ illius erant religionis,idq; per annos decem,quibus elapſis ad actionem accedebãt, & opere implebãt,quę didicerant. Poſtremo iam diſciplina & longo vſu edoctæ docebant cæteras. Idem videtur mihi cõtigiſſe: nam adoloſcentulus iuris ſcientiam didici, dein ſuccedente tẽpore in foro, in iuditiis, in magiſtratib9 exercui:nũc demũ inclinata iam in ſenium ætate, vt doceam, adſum. Et de me quidem hæc habeo dicere. Cęterũ ſi Iuris laudare ſcientiam cœpero,quod locus hic exigit,vereor, ne id ſatis cõmode facere poſſim:nam ſi multa dixero,infinita erit oratio:ſin quędam pauca excerpſero, reliqua cõtempſiſſe videbor: vnum, aut alterũ dicam,quod non longũ erit, erit tamen eiuſmodi, vt ſufficiat ad oſtendendũ Iuris robur, & dignitatem. Ego ad quamlibet rem illud maximi eſſe momẽti exiſtimo, quo pręſente res ipſa ſeruatur,abſente interit. Si quęratur igitur quid ſit illud,quod vbi adeſt, ſaluas facit ciuitates, vbi autẽ

abeſt,

abest, euertit, reperiemus rectè inuestigātes id esse ius: hoc vbi adest, congregationē ciuiū connectit, & tenet, sin abfuerit, ui domināte euertuntur omnia. Tantū autem differunt inter se Ius, & vis, quantū maximè potest: nam ius cōgregat, vis disgregat: hęc nullū habet populū, illud habet: quoniam populus dicitur esse multitudo hominū iure & legibus sociata. Quū igitur tanti sit momenti in Iure ad salutē & perniciem ciuitatū, quis dubitet dicere mentem, spiritū, & animam ciuitatis in Iure & legibus esse positā, vbi autem nullū Ius, nullus pudor, nulla legibus reuerentia, non esse illam ciuitatē, sed ciuitatis cadauer? ferunt nanq; initio orbis constituti homines vagos, & dispersos in agris errasse, & ferino quodāmodo victu vitam sibi propagasse, deinde quū se collegissent, & vnū in locū congregassent, vnisq; se mœnibus etiā sepissent, nihil tamen magis inter eos conueniebat, sed multa tetrè impuréq; fiebant, quū ui & manu omnia agerentur: nam vnus quisq; tantū habebat, quantū per cædes, & vulnera eripere alteri, aut retinere poterat: hinc pręlia assidua, seditionésque quotidianę excitabantur, quæ ut cessarent omnia, scriptas esse a prudētibus viris perhibent leges, tanq; fędera quædam pacis, per quas æqualitas Iuris omnibus tribueretur: erat enim exitiale, & perniciosum vim dominari,

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset,

vt Ouidiano testatum est carmine. Et hæc quidē afferuntur a nōnullis, quibus omnino non assentior: nam incertum habeo, vtrū ab initio homines vagi, & dispersi errarint, & ferarum ritu vitā traduxerint: neq; enim qui id asserunt, idoneo nituntnr testimonio. Me verò non pœnitet illorꝝ sententiæ accedere, qui aiunt homines a sui creatione longo tēpore inter se placidè vixisse, nec vllos propter pudorē alienis animū adiecisse, aut in alterius iniuriā iuisse: deinde crescente hominū multitudine, & malitia, quū ij, qui plus poterant, tenuiores opprimerent, Reges primò creatos, qui præsidio essent tenuioribns contra potentes: deinde quū & regū tæderet, q;

hi multa ad libidinem iudicabãt leges pręscriptas, secundũ quas iudicia fierent, & vnicuiq; suũ seruaretur. Et origo quidem legum, aut hæc, aut talis quædã (vt mihi pſuadeo) fuit. Nunc inquirendũ est, qui sit iuris ipsius finis, qui iam ex his, quæ nunc dicta sunt, perspicitur. finis igitur iuris est ciuilis concordia, quæ retinetur, si iuris pręceptis, vt oportet, pareatur: præcipit autem Ius tria illa notissima, honestè viuere, alterũ non lædere, Ius suum vnicuiq; tribuere: eadem spectat, & sequitur splendipissima virtutũ omnium iustitia, nõ enim ipsa a Iure discrepat: nam quod fit iure, id quoq; factum iustè necesse est: & quod fit iniustè, ne iure quidem factum esse potest. Postquã autem videtis, quæ causa fuerit Iuris cõstituendi, & quid in eo, vt finis spectetur, de hoc pariter intelligere potestis quàm magnum sit illud, quod per ipsum conficiatur, vel potius confectum sit: hoc & si manifestum est, manifestius tamẽ fiet, si dicatur, & non silentio prætereatur. Vnaquæq; ars, quæ non contemplatur tantum aliquid, sed etiam agit, potest id, quod iam effecit, ostendere, præter paucas quasdam, quarum ita debiles sunt actiones, vt nõ permaneant, sed statim euanescant, ita vt earũ artium studiosi nullum opus ex his effectum possint cõmonstrare: nõ enim musicorũ chorus cantum, quem concinuit, ostendet, nec histrio gesticulationẽ, quam edidit, nec pręco pręconium, qđ emisit, nec athleta certamen, quod pugnauit: Medicus tamen ostendet sanitatem, quam ægris attulit corporibus, architectus exhibebit domos, quas fabricauit, pictor effigies animaliũ, vel stirpium in tabulis expressas adducet: harũ enim artium facultate efficitur opus, quod & si deseratur ab artifice, manet, & conseruatur. A legis verò latore si quæratur, vt ostendat opus, quod effectum est e iuris constitutione, quanto maiora, & meliora ostendet? permanet enim legum opus, nec statim affluit. Ille igitur stantes vrbes habitatoribus refertas, rerumpub. priuatarúmq; incolumitatem ostendet: hæc omnia legũ esse opera, hæc legibus accepto ferri dicet

oportere:

oportere: quandoquidem earum sanctionibus efficitur, vt vnusquisque suum teneat, alienũ dimittat, publica vt publica, priuata vt priuata habeantur, nemini liceat aliqd occupare, nisi huiusmodi aliquid inueniatur, quod in nullius bonis sit: nec respiciunt illæ personã, sed summos, & infimos pari iure cõplectuntur, & cum omnibus vna, & eadem voce loquuntur: denique regula sunt iustorũ omnium, & iniustorũ, ita vt altera iubeant, altera prohibeant. Hoc est illud, quod pacem, concordiam, ocium peperit ciuitatibus, atque pariet: hoc ciuiũ voluntates agglutinat: sine hac concordi societate nõ ciuitates modo, sed ne domus quidem, non regna tantũ, sed ne latrocinia quidem vlla possent cõsistere: nam si vnà latrocinantes dissentiant in prędę diuisione, vel qualibet alia de re, mutuis se ipsos conficient vulneribus, vel discedentes alius alio latrocinium dissoluãt. Hæc & his similia spectans princeps Græcię oratorũ Demosthenes, veris legem extulit laudibus, dum legẽ a natura plurimũ differre disserit: quoniã natura in hominibus inæquabilis est, & inordinata, & pro cuiusque captu plus, & minus habens, improbos trahens ad pessima quæque facinora: contra verò lex constantiã habet, & ordinẽ, & æqualitatem: nihil illa vult, nisi quod rectum est, decens, vtile, idque persequitur, & summopere inquirit, & vbi inuentum est, commune efficit præceptum, eadem, & ęquabili ad omnes vtens voce. Quamobrẽ hoc lex est (inquit) cui omnes homines conuenit parere ob multa, sed ex eo maxime quia omnis lex inuentnm est & donum Deorũ, decretum sapientium virorum, emendatio delictorũ omnium, quæ vel fraude, vel negligentia contrahuntur, cõmune fœdus ciuitatis, secundum quod omnes ciues decet vitã agitare. Quamuis autem vnaquæque ciuitas suum peculiare quoddam habeat Ius, tamẽ omnes fere Iure ciuili Romanorũ, vt cõmuni vtuntur, nam vbi illud deficit hoc sequũtur. necesse est autẽ, vt quilibet populus sua instituta, qualiacũque sint, ea pręferat cęteris: oẽs tamen vbi a Iure suo discesserint ius Romanorũ

primũ habent, ex quo colligi poteſt optimè conſcriptũ fuiſſe quemadmodũ optimè pictã tabulã illam fuiſſe exiſtimatũ eſt, quã cæteri pictores, qui in certamen venerant artis, a ſua primã oſtenderunt: nec mirũ videri debet tanto omniũ con ſenſu ius ciuile Romanorũ approbatũ, quia ea ſapientia con ditũ exiſtimandũ eſt, quanta in illis viris eſſe debuit, qui nõ manu modo, ſed conſilio, & mente oẽs terras, omnia maria parere ſibi coëgerunt: quod ex eo etiam oſtenditur, qđ non modo gentes & nationes, quę romano ſubſunt Imperio, ſed ex etiã, quæ poteſtate imperij Romani minimè delectãtur, illud Ius, ut ſanctũ, & legitimũ, & ſalubribus inſtitutis tem peratũ ſibi aſciuerunt: nõ enim ipſi inuenire melius, aut ali- unde reperire potuerunt, non enim id ſecuti fuiſſent. Ma- gnũ id eſt profecto argumentũ romanas leges prudẽtiſſimè ſcriptas quòd nõ ui, aut metu dominantiũ, ſed libero multa rum gentiũ iudicio ſuſceptæ fuerunt, putantiũ ſe minus cõ- modè victuras, niſi his paruiſſent. Sed maius adhuc illud, ꝙ infinito tẽpore, quo vigent, vſu, & ſui tractatione oſtende- runt rectè & vtiliter fuiſſe poſitas, quodꝙ tot ſæculis, tot in- geniis quærentibus alia meliora afferri nequiuerunt. Videt præterea omnes tam purè, tam dilucidè, támꝙ preſſè id ius conſcriptum a veteribus illis Iuriſcõſultis, vt omnis linguæ latinæ venuſtas illic reſediſſe videatur. Multa quoꝙ ex græ- corum fontibus, & ex aliјs artibus illuc inuecta, quæ res & decus auget, & ornatum, & veluti ſtellis quibuſdam & mar garitis ipſam illuminat elocutionem. Huic adiunctum eſt Pontificium ius, quod ſanctorum patrum concilia, & ſum- mi ipſi Pontifices ediderunt: hoc de his, quæ ad ſanctiſſi- mam religionem ſpectant, & a diuinis pendent præceptis, diſponit, nec ſolum tendit ad ciuilem iuſticiam conſeruan- dam, ſed hominem deo iungere conatur, admonens aſſiduè vnde natus, per quem renatus, quóue ſit redeũdum. Enim uero ſi ad rationem rem hanc reuocare voluerimus, nimis anguſta videbitur illa cõſideratio, nos eſſe harum terrarum,

ciuitatum incolas, nisi hæc maior accedat, nos cœlesti Reip. pariter designatos ciues, in quam vt perueniamus, necesse est, dum hic etiam agimus, vt regni illius cœlestis legibus viuamus. Vbi enim fatale vitę huius tempus prętererit, & ex his locis cum anima nuda migrauerimus, occurrent statim diuinę leges, quę si nos inuenerint sui studiosos fuisse, perducent in supernam illam ciuitatem admirabilem, in qua regit populum diuinitas, ciues nectit charitas, pascit æterna veritas, domũ præbet fœlicitas. Has igitur diuinas leges subsequitur Ius Pontificium, & secundũ eas cuncta præscribit, siue vetet, siue imperet, siue permittat. Quapropter plurimæ sanctiones extant de summa Trinitate, & fide Catholica, de hæresibus, de ferijs, de ieiunijs, de baptismo, de eucharistia, de decimis, de templorum ædificatione, de matrimonio, de votis, de iuramento, & alijs demũ, quæ eiusdem sunt generis: in his enim singulis statuitur, quid vnũquemq; Christi fidelium agere & præstare conueniat: insuper actus corrigũtur humani, vbi inueniuntur æterno fini repugnare, id est animarum saluti, hinc pręscriptiones malę fidei sublatæ, prohibitę vsuræ, concubinatus interdictus, diuortium in matrimonio repressum, quæ omnia humanæ leges concedebant. Altius igitur huius iuris Põtificii q̃ aliarum legum propositum, quũ ita tẽporalibus prospiciat, vt non dimittat æterna: tantò autem sublimius est ius cæteris: quantò Xp̃ianus homo maior censeri debet eo, qui secundũ naturam simpliciter homo sit. Huic ego Iuri interpretando vobis (vt opinor) non inuitis accessi. Eia agite fratres dilectissimi, toto pectore in hæc studia mecũ incumbite, & vigilate, non pigeat sępe ante lucem surgere, & codices hos sacros, eorúmq; magnos interpretes

Nocturna versare manu, versare diurna.

Occurrat vobis præstans ille vir Zeno Citieus, qui postmodũ stoicorum princeps fuit, qui quũ ex Phœnicia nauigans in græciam naufragiũ fecisset, delphicũ oraculũ fertur consuluisse, quonam modo beatam duceret vitam: respõsumq;, si

mortuos viuens coleret, quo respõso accepto omnẽ operam & industriam in euoluendis antiquorum voluminibus contulit: ita enim interpretatus est se mortuos colere, si pstantissimorum virorum scripta, in quib⁹ illi effigiem animi & ingenii sui nobis impressam reliquissent, assiduè tractaret, atque ita legendo proficeret, & se ipso in dies melior fieret. Laudatur illud Apellis pictoris, qui nullũ diem passus est sibi sine linea præterire. Ergo ille, vt pfectius formarum pulchritudinem penicillo exprimeret nullum sibi tempus ab opere vacuũ relinquebat, nos quibus publicarum rerum, & priuatarum moderatio proposita est, non maiore huc studio, & diligentia incũbamus? an ignoratis nihil ferè mortalibus gratis contingere? nõ parum, si omnibus tentatis res succedat: sed, ne de reliquis dicam, illud certissimũ, ingenuarum artium scientiam multis magnisque acquiri laboribus. Si quis igitur id, quod laboribus tribui solet, expectet a desidia & voluptate, fallitur: si enim scientia iam parta amittitur, vbi quis intermissis exercitationibus, & laboribus desidiam sequitur & voluptates, multo minus per hæc eadem acquiretur, quũ facilius sit retinere quàm quærere, & nullo pacto fieri possit, ut quibus rationibus res bene habens delabitur in deterius, ijsdem e deteriori ad melius progrediatur. Quanuis autem ingenium ad cõprehendendũ velox, ad retinẽdum tenax multum possit, nihil tamen efficit per se, nisi adhibitis studio, & exercitatione. Natura voluit nos scrutari scientiam rerum, sicut aurum, & gemmas, & alia quædam preciosa, quæ abditis retrusit sedibus, ut illinc per summos eruta labores peterẽtur: non enim illa tam magna, quæ ad ornatũ corporis spectant, gratis concessit, quanto magis voluit scientiam preciosissimũ animi ornamentũ adhibito labore cõparari? Nec vero dici potest iuris scientiã reliquis faciliorẽ, cuperem id qdem, nam ipse quoque huius beneficij particeps forẽ: veruntamen maximã esse artis latitudinẽ, & difficultatẽ, tractatio rei satis admonet, tum id ipsum quoque multitudo librorum, atque adeo

magnitudo testatur: nam plus scriptorũ penes vnũ Iuriscon sultũ, quã penes decem alios cuiusuis artis facile inuenietur. Sed ut sermonẽ hunc, quem de voluptate, & labore institui, iam concludam, sic habetote, quod magis præstat labores persequi, quã voluptates, cur id ita sit percipite, & ubi perceperitis, iudicate, & postquam iudicaueritis, in vobis erit rem ad exitum perducere, ne frustra sit sermo meus, & iudicium vestrũ. Cur igitur dico præstare magis labores insequi, quam voluptates? quia voluptates desinũt in luctus, mœrores, ægritudines tum animi, tum corporis: quicunque has persequuntur, tristem sentiunt exitũ, qui illos expectat. Quod si laborib9 nosmetipsos addicere voluerimus, cõparabimus nobis per illos diuitias, honores, imperia, magistratus, existimationẽ, & alia denique, quę iucunda in hac vita mortales habẽt: in hæc enim labores desinunt: decet autẽ nõ tam initia rerũ spectare, quã fines. Ideo nõ voluptates amplecti, quia initio suaues, nec labores effugere, qa initio duri, sed librare antea in quod vnũquodque eorũ finiat. Audistis nuper de Iasone, & Decio, qui & quanti viri nuper fuerunt: num existimatis illos tantũ doctrinę cepisse, nisi vterque quũ adoleuisset, huius sacræ scientię veluti insano amore captus, uel potius afflatus, noctes, diésque sine intermissione veterũ scripta, & secũ, & cum æqualib9, & cum præceptoribus examinasset, idémque discendi amor per omnẽ eos vitã comitatus esset? Quaobrẽ magno in honore & gloria viuẽtes fuerunt, magnásque sibi opes parauerũt, nunc etiã versantur in ore omniũ, & illud etiã maius adepti, quod eos de humano genere benemeritos existimamus: multũ enim luminis eorũ opera, & industria iuris studiosis attulit: hos viros, & alios quoscunque his similes, de quibus audistis, aut legistis, uel si quos tales etiã nunc vidistis, ad imitandũ vobis proponite. Duæ sunt omnino artes, quæ hominẽ in magna constituunt dignitate, Militia scilicet, & Iuris scientia: vtra harũ artiũ sit dignior, cõtenditur. Ego militiã Iuris scientię cedere iubeo: hæc enim animi & ingenii virib9 munus suum metitur, illa

corporis hęc humanæ congruit rationi, illa feraꝝ in morem vi & impetu quodlibet agit, hæc omni tempore grata, illa odiosa etiam quũ subest vtendi necessitas: demum maior in hac, quã in illa securitas, nam, vt dicam cum Peligno Poëta,

Tutius est fouisse thorum, legisse libellos,
Threiciam digitis increpuisse lyram,
Quàm manibus clipeos, & acutæ cuspidis hastam,
Et galeam pressa sustinuisse coma.

Quamobrem vos egregia cõmendatione arbitror dignos, qui Palladis potius studia, quã Martis sequuti estis: nam & humanius vitæ delegistis genus, & tranquillius, & ad opem pluribus ferendam, beneuolentiámq; ciuiũ cõparandã expeditũ magis, ac paratũ. Ex eo etiam sapientius vos Iuris scientiam delegisse existimo, ꝙ militiam, qđ iuris sciẽtia magnũ iam suscepit incrementũ tot interpretũ adiuta ingeniis: militaris verò ars vtrũ profecerit tam frequentibus bellis, nõ habeo dicere. Illud tamẽ dicam melius fore in humanis rebus, si huius disciplinę obliuio cunctis gentibus induceret, & res nobis rediret ad aureũ illud sæculum, quo vigente bella non modo nulla erant, sed ne in mentem quidẽ venerãt cuiusꝗ,

Nondum funestos rabies fabricauerat enses,

Vt est penes germanicum Cæsarem in arateo carmine: & alius poëta inquit,

Non tuba directi, non æris cornua flexi,
Non galeæ, non ensis erat, sine militis vsu
Mollia securæ peragebant ocia gentes.

Cogitanti autem mihi aureo hoc florente sæculo bella nulla fuisse, & quũ hæc erupere, illud desiisse, libet dicere magno hominũ malo bella inuẽta, & excogitata fuisse, neq; latet qui primus id malũ inuexerit: nam quũ ab aquaꝝ inundatione, quæ sub Noa fuit, vel vt alij, sub Ogyge (eiusdem enim hominis gemina est appellatio) fluxissent anni ducẽtum prope & quinquaginta, per quos aureum sęculum ꝑmansisset: primus Ninus Babiloniæ Rex finitimis arma intulit: exinde

progre-

progrediens, Asiam totam vi & ferro perdomuit, aureósque illos soluit mores, quibus vnusquisque intra limites suę regionis se tenebat, & aliena inuadere impossibile ducebatur: postea omnia paulatim in peius flecti, & vnà cum belli rabie deteriora quęque successere, donec ex aureo ferreum sęculum factum est. At ne leges quidē (inquiet aliquis) aureo illo sęculo extabant: ita est: veruntamen earum descriptio postmodum excogitata magnā peperit inuentoribus laudem, & populis vtilitatē, quoniam quod natura impresserat humanis mentibus, honestè scilicet viuendū, nemini iniuriam inferēdam, Ius suum vnicuique tribuendum, id generali quadam noticia cōprehensum, per singulas postmodū speties, in quibus naturę vis minus iam elucebat, legibus diffinitū fuit, & veluti e rudi & informi mole in sua mēbra cōpositum, & digestum. Facilius est enim genus ipsum videre, quàm id quod est in partibus, & ruditer aliquid intelligere cuiuslibet: explicare autē singillatim & distincte vnūquodque, quod in re occurrit, nō iam cuiuslibet, sed solius artificis. Enimuero (vt exempli causa vnum subijciā) quis nō nouit filios a parentibus ali debere? hoc si tantūmodo statutum fuisset legibus, vt parentes alant filios, non multum in eo profecissent leges: hoc enim natura admonet, & omnes (vt dixi) norunt. veruntamē si quęratur, qualiter alimēta prēstanda sint, & quod ad tempus, quóue loco, & quid de vxore filii, & si pater & auus extent simul, vter eorum teneatur, credimúsne omnes nosse? quemlibet posse explicare? certè nemo ea dicet, nisi artifex, & legū peritus: legibus enim hęc explicantur, quarum est munus non ea tantū quę proxima sunt principiis naturalibus, sed remotiora quoque in singulis humanis actib9 definire. Est igitur dignitatis, & vtilitatis maximę plena Iuris prudentia. Quum vero laudo, quod eam militiæ prętulistis, eadem opera laudo quod arma vestra libros esse voluistis: horum enim tractatio vobis incumbit, nam galeas, loricas, enses, & reliqua Martis instrumēta relinquenda dico, vel seponēda, & melius rubigo illa infecerit, quàm

mores vestros eorū vsus corruperit. Eqdē uos arbitor dissimiles quorundā discipulorꝝ qui noctes, diésq; armati obābulant rixis, & dissensionibus vacantes, qui tantū in arte ꝓfecerunt, quantū oportebat eos ꝓficere, qui armis suis bellum scientię indixissent. Sed de his satis, nō enim opus est uti pluribus vobis cohortādis in id, ad qd' sponte vestra uos video incitatos: quanq̄ mihi quoq; conuenit orationē meā tanq̄ effrenē equū lōgius excurrentē retrahere, & intra limites coërcere: nā illud cōsidero, uos huc potissimū venisse, nō ut orantē, sed ut aliqd in Iure docentē audiretis. Quamobrē iā desino, imo vnū de me addā, q᷑ ad doctoris ptinet officiū. Ego indefessā operā, & fidele studiū vobis polliceor, nihil durū, aut asperꝝ erit, q᷑ ꝓfectus vestri causa non subeā plibenter. Illud imprimis curabo ut nihil a me tradat̃, nisi purū, atq; sincerū, non cauillosas, aut calūniosas sequar argumētationes, non sophisticos legū intellectus, q̄bus plerisq; gaudent tanq̄ aliqd noui attulerint: nihil erit a me tale, nusq̄ q̄rēdū in iure putaui nunqd noui afferatur, sed nunqd veri: hoc ubi elucet, teneo, amplector, foueo, siue id vetus sit, siue nouū. Quēadmodū enim laudare par est eos, qui uel quę rectè dicta sunt explanarunt, uel si qd omissū fuit, supplerunt (nihil enim simul inuentū est, & ꝑfectū) sic culpandos hos ambitiosos duco, qui studio nouorꝝ dogmatū astutè semꝑ aliqd texunt & machinant̃, neq; vnq̄ desinunt calūniari, & vera inuenta falsis artibus oppugnare. Multa tñ occurrent in dicendo subtilia, & acuta, elegantis conuentus digna auribus, quæ non p̄termittent̃: multa enim similitudine quadā fallētia faciunt rem ambiguā, multa nodosa inuoluunt, multa turbant contraria: quamobrē, & ambigua distinguere, & nodosa dissoluere, & contraria repellere conabimur, ita in singulis patrocinantes veritati, ut ostendamus nihil hac nobis prius fuisse, aut charius: neq; tñ ꝓfiteor me oēs superaturū ingenio & docēdi facultate (vnde enim id mihi?) q᷑ si etiā hoc tantū de me ꝓfiterer, fidē nō facerē: nā maiores quoq; nostri monuerunt

discipulos,

discipulos, ne credere velint doctoribus maxima quæq; pollicētibus. Ad me igitur ptinet mediocria polliceri: satis erit, ut opinor, si quædā dixero melius, ꝗ plures, quædā non deterius. Quū autem hæc vobis præstabo, vos mihi vicissim & faciles aures, & beneuolum pectus pręstare conuenit: sed interpretationē ipsam pontificiæ decretalis aliquādo aggrediamur, ut quoniā verborū satis est, rem iam præstemus.

PRO MAGISTRATV GENVENSI.

ORATIO SEXTA.

ETSI Iure optimo viri Genuēses lętari possim, ꝙ in pulcherrima vrbe, inter egregios ciues, sub clarissimis principibus, magistratus mihi sit gerendus, & is magistratus, qui iudicia contrectans ingenio, psonęq; meæ valde aptus esse, & appositus videtur. Attamē quū succurrit qd, & quantū sit lites ciuiū & cōtrouersias, partim ui sua obscuras, partim callidè inuolutas, iuris norma diremisse, de tot ciuiū fortunis sanctè, veréq; iudicasse, non mediocriter pturbor: quoniā quò altior dignitatus gradus, eò grauior sit lapsus, & quātò honestius magna suscepisse, tantò turpius est suscepta non rectè exequi. Quæ cum ita sint, illa me tñ res Genuenses consolatur, ꝙ vos a magistratibus vestris nihil magis exigere soletis, ꝗ integritatē & innocentiā, quæ quoniā in mea potestate sunt, facile vobis polliceri possū, atq; adeo re ipsa pstare. Nam quū ista ætatis meæ rudimenta ab omni facinore intacta transmiserim, quūq; ortū ducā ab amplissimis viris, qui ciuitatū suarū administrationi assidētes pcipua innocētiæ laude floruerunt: nunꝗ ego morū, nunꝗ maiorū meorū obliuiscar: neq; nunc primū degener, similísq; dissimiliū mei esse incipiā. Etenim si infimos etiā homines cōuenit curā sui nominis & existimationis habere, quorum facinora ppter infimā fortunę cōditionē plærūq; latent, qd faciendū est ijs, quos in excelso constitutos cunctorū oculi atq; aures sequūtur: qui magis seruare leges debent, quā qui seruādas

alijs pponunt: qui magis ab omni facinore tēperare, quā qui intemperantes cohercent: quos æquè benefacere oportet, q̄ quibus deposita potestate ratio reddenda, & veluti calculus gestorꝝ ponendus: improbi sane ij, ac funesti, qui aut mulieris forma, aut locupletis pecunia, aut fortunati gratia cōmoti, quos affligere oportebat, seruant: quos seruare, affligunt: ita potestatem gerentes, æqui boniq; discrimine sublato, vt secunda sperare improbi, aduersa boni metuere cogantur. Hos tamē, vt pœnas legibus debitas perrūpant, conscientia scelerꝝ vexat, ac excruciat, horꝝ mentes non solum apertę hominū querelæ, sed tacitæ etiā multorꝝ cogitationes exurunt. Itaq; quoniam honestas vi sua ad se allicit, quodq; ista, quæ sequuntur sponte sua honestatē, sunt gratissima, dignitas nominis, tranquillitas animi, vitæ candor, talem me pręstabo, qualem futurū sperare oēs debent, & qui norunt, credunt: tātú mq; abest, vt improbis uelim esse moribus, quin illud potius coner, ut ornatissimis, qđ assequar, si sine inertia modestus, sine arrogantia grauis, sine tarditate diligens uidebor. Nunc uerò si quis de me doctrinæ quandā ubertatem expectet, is profectò quid ciuitatis amplitudo, & negociorū magnitudo postulet, præuidet. Ego uerò, quia non in barbara terra genitus, sed Italię uberibus innutritus fui, potui adhuc tener ingenuas artes cōbibere, animúmq; a malis cupiditatibus se auertētem literarū studiis mandare, præclarū est Ius ciuile tenere, pulchrum historias nosse, ualere etiam dicēdo haud absurdū est: quæ quidem studia in me tanq̄ pubescentia, paulò ante crescebant, & ut pars gradúsq; ad summæ accessionem faciebant: nam nunc quicquid in me uirtutis esse debuit, & ingenii, id totū cumulatū est, & pfectum, iam unà cum ætate adoleuit: uariari tēporibus & distingui potest, re augeri non potest. Equidē non despero quæcunq; doctrinæ facultas animo insederit, quin possim litibus, & quibuscunq; legitimis disceptationibus officiū meum pstare: quod si alicui usu parum, ingenio non tam multū ualere uideor, is diligentiæ

gentiȩ meæ debet confidere, qua cauebo, ne maioribus in rebus, aut aliorum solertia capiar, aut ipse spōte fallar. Nunc autem videndum est vobis Genuenses, si hęc, quæ me vobis præstaturꝫ confido, re ipsa præstentur, num animo vestro satis esse factū putetis: quid autem id sit, tametsi ex iam dictis liqueat, tamen non ab re erit illud nunc vobis per imaginē quandā proponere: expressius enim intelliguntur, & feriunt animos vehemētius, quæ ex ipsis simulacris rerꝫ oculis penè mendantur. Fingite igitur animo me in reliqua satellitū turba, qua egeo ad iudicia tuenda, addixisse me etiam huc homines quosdam duos, quos ego seruulos domi meæ natos, ingenuè, & quanta potui diligentia probè educarim: & qui in ætatem viri nunc mecum excreuerunt, & quibus ob id nimis valde cōfidam. Sit igitur hoc ita effictum: esse item hos inter se genere & morib⁹ coniunctissimos, forma oris & reliquo corporis statu penè pari: sed est & in illis, aliud geminū quoddā, nam adeò similes sunt in nomine, ut etiam illis assueto sæpius in eorum vocatione errare contingeret, quanq̄ hoc habent, quia vnà simul assueuerunt, si vnum vocaueris, ut vterq; respondeat: horum vnus vocatur Pudens, alter addita literula factus est nomine Prudēs. Iam ex ipsa nominū appellatione cognoscitis, ut opinor, quātæ sint virtutis. Nūc vtrumq; me præ foribus curiæ iudiciorꝫ collocare oportet, ut aditum illum custodiant: non erga homines dico, quo scilicet intempestiuè venientes coërceant, quod munus cęteris satellitibus imponi solet: imo ijs ego iubeo, ut quibuslibet hominibus ad illorꝫ arbitrium liberam præbeāt copiam adiudicia adeundi. Sed alteri tamen eorū præcipitur, ne blandum sermonen, ne pecuniam, ne muliebrem illecebram, ne vllam fauoris aurā in ipsa iudiciorꝫ mysteria aspirare sinat, imo his omnibus & alijs improbitatum generib⁹ tanq̄ prophanis hominibus fores occludat. Sacram enim quādā rem, & diuinam iudicia esse existimandū est, & quæ ab omni sceleris cōtagione, pura & inuiolata seruare oporteat, ideò hoc

iste ha-

iste habeat sibi muneris. Alteri huius socio, qui pluris est in nomine, & in oculis, nam, vt mihi videtur, acutius cernit, iniungitur, vt diligenti adhibita inspectione caueat, ne lubricus Iuris error aliquis, ne mentita ęquitas eodem surrepat. Superest nunc, vt cōcludatur imago, aliud nihil, nisi vt hi custodes impleant mandata. Quod cū fiet, nonne iudicia rectissimè reddi censebitis, remotis contrarijs vitijs, sola ęqui, boniq; ratione seruata? Si imaginem hanc Raphaëlis vrbinatis manu depictā nunc tabella, plata vulgò intuendā proponerē alicubi suspendens, gauderetis inscijs ostendere, & exēplar quoddā pclarū bene gerendi magistratus cernere oculis diceretis. Nunc agitur aliud quoddā pręclarius, quia nō per imaginē, & eam aliena materia, & arte expressā, sed re vera per me ipsum eadem illa omnia in magistratu meo vobis & liberis exhibere affecto. Cur autē ęgrè feram, quòd e secreto, & vmbraculis disciplinarū exeunti sub oculis hominū, & tanq; in aprico mihi sit viuendū? Cur pertimescā, si fortuna mihi offerre facultatē, & veluti campū prosternere voluit, in quo excurrere virtus, & industria excuti possit? Nunc animi mei dotes elucescant, & caput efferant necesse est, si quę aut naturę indulgentia prębitę, aut assiduitate laborū mihi sunt excultę. Dixi Genuenses quę de me dicenda erant breuissimè, vt potui: nunc ad reliqua, quę de vobis dicenī, attendite. Ego enim huius magistratus gratia huc euocatus, vt Genuā appuli, & si de illius amplitudine & dignitate prius fama, sermonibúsq; multorū acceperam, legendóq; cognouerā: tunc oculis omnia prope percunctatus, magnifeci nimis ciuitatē istam, quæ mari, quæ Liguriæ præsidet, quæ cum ædificiorū descriptione, & pulchritudine reliquas Italię vrbes superat, tum nauigiorum magnitudine, ac robore, non solum Italię populis, sed cunctis gentibus & nationibus antecellit. Hæc vrbs opibus, copiisq; pollens colonias externis in oris multas deduxit, vrbes, agros maritimos, insulas penè omnes, vi quondā subegit, ac sibi parere coëgit, infinita pro christiano

nomine

nomine bella magno animo suscepta, maiore gessit: & ne nimis longinqua cõmemorem, duabus Italię ciuitatibus, quę mari prǣpollebant, infesta Pisas afflixit, Venetias perculit, ac in extremũ discrimen adduxit, nec solum maximos reges classe, & armis exagitauit, sed etiam aliquando intercepit: notum est enim quemadmodũ maiores vestri, dum pro Philippi Mediolanensiũ Ducis imperio niterentur, prȩlio apud Caietã maritimo gesto Alphonsum Italiæ Regẽ deuicerint atq; cõprehenderint: itémq; eius Regis duos fratres reges: rem sanè decorã vobis, & gloriosam, dum eius ætatis homines viderent quod posteri legimus, trium regum colla genu ensibus cathenis compressa, atq; onerata fuisse. Quæ verò alia ciuitas cõmodiorib⁹ vtitur moribus, & sanctioribus institutis, quã Genua? quamuis sub ipso mari constructa a cæteris Iataliȩ oppidis expulsa quodãmodo, & in hos scopulos relegata videatur. Sed non ideò magis hac in re ab vllis vincitur, quã potentia, opibus, gloria, diuitijsq; superetur. Inter cætera illud optimum, in quo iudico maiores vestros plurimum vidisse, sapi ter q; sensisse, qui quum viderent plebem præcipiti quadã temeritate, & cæco impetu ad res statuẽdas impelli, vnũ reip. virum præesse voluerunt, qui adhibito senatu cuncta duceret, & temperaret. Itaq; postq̃ vnus tantis rebus præficiendus erat, quis idoneus magis huic muneri reperiri nunc poterat Antonio Adurno? cuius pater, atq; auus antea ciuitatis principatũ obtinuerant summa cũ laude, ipse etiã maiorũ gloriã auctiorẽ facit, tum prudẽtia mentis, scientiáq;, & vsu rerũ, tum iustitia, pietate, religione, continentia, cæterísq; virtutis partib⁹ p̃stantissimus. Itaq; & iste vir tali impio, & imperiũ istud tali viro est dignũ. De Hieronymo verò fratre quũ dico, vellẽ aurea fluere verborũ copia: nam dũ reputo ipse mecũ, quę hominis virtus in bello, quæ fortitudo in periculis, qualis tolerantia laboris in negociis, quæ solicitudo animi in agendo, quanta cura in conficiendo, vereor, ne facultas orationis meæ hęc tanta nequeat explicare,

quod

quod enim multis per partes diuidi solet, huic vni totum cumulatum, atq; perfectum diuino munere donatum fuit: iste enim adolescẽtulus adhuc profectus in Galliam Ludouico tunc regnante, maximo illi, & sapientissimo Regi admirationi sic fuit, dum senilis sapientiæ monita iuuenis funderet, ut in amicorum numerũ statim reciperetur, & donis aliis afficeretur amplissimis. Postmodũ videns huius vrbis principatũ sibi & familiæ debitum per alios interceptũ, non obscurè id iniquo animo ferebat. Quoties igitur hunc locũ armis, atq; arte tentauit? quoties viri consilia fortuna fefellit? nec fefellisse satis fuit, in maximas etiam ærumnas iniecit. Atqui quũ aduersa constantiam, pericula audaciam exacuerent, tandẽ quod animo petebat, fœlicitate est consequutus: quæ tamen ipsa fœlicitas non fato quodã cecidit, sed virtute, & ingenio, & manu parta est, ut non cuiuis stulto, sed nisi magno, ac sapienti viro obtingere valeret, ut hæc pſentia declarãt. Quid dicam bellum istud proximũ de sententia eius, & cõsilio aduersus Gallos susceptum, & magna ex parte gestum fuisse, cuius belli fumantes adhuc ruinas videtis? copias sæpius duxit, præliis, & oppugnationibus vrbiũ interfuit, nulla res in exercitu sine hoc gesta maior: sed hæc audiuimus, illud verò nosmet ipsi nuper vidimus, non aliunde allatũ est, sed in hoc oculis nostris credimus, quòd arcem huius vrbis munitissimã, infœliciter a cæteris semper tentatam, illo expugnationi assidente, triduana pestis absumpsit: ita ut hostes deditionẽ subire, & salutem suam alienæ fidei cõmittere cogerentur. Forsitan quæratur, vnde ista existant, vnde? ex egregiis scilicet, & raris animi dotibus: vigent enim apud Hieronymum literæ, ingenuarum studia disciplinarum, manent vetustatis peritia, exemplorum copia, nationum, & regionum exterarũ cognitio: his ille fretus maxima quæq; aggreditur, & aduersantes sibi obtinet, siue gladio niti oporteat & manu, siue solertia, & ingenio prudenti: non enim multa cognitu digna collegit, ut ocium domi oblectaret, sed ut in pericula rerũ,

in aciem

in aciem campúmq; proferet. Itaq; his temporib⁹ habet ille singulare quoddam decus, quòd principum penè solus videtur posse, & facta legere, & facere legenda. Ex ijsdem profluit fontibus grauis illa, & ornata dicendi facultas, qua ignaras hominum edocet mentes, inflammat languentes animos ad virtutem, & a feris cupiditatibus inflammatos deducit. Quibus in rebus parũ linguæ vtitur munere: quia totũ ferè illic agit prudentia, quã & a natura, & ab usu, & a literis acrẽ habet, & paratã: hac diuina animi sui parte auxiliante, & lucem porrigẽte valet ille quæcunq; in rem aptè ac propriè dicere, & beati illi videntur, quibus cõtigit de sapienti illo ore consilia agendi, & moderationem animoꝶ suorum haurire. Iam verò qua seueritate disciplinę cõtineat nõ solũ se ipsum, sed familiam totam, notum est omnibus: nõ est alia domus, quæ in omni rerum affluẽtia bonis exemplis sit ditior. Illud vnum pręcipuum est, viri Genuenses, propter quod cogito ambos hos fratres huius regendæ ciuitatis muneri haud impares fore, propterea quòd antea gesserunt, atq; adeò hodie gerũt alium principatum hoc vestro (pace vestra dixerim) longè maiorẽ, & pulchriorẽ: quis nam iste? posse sibi scilicet & cupiditatib⁹ suis imperare: nullus hoc principatu clarior, aut melior, aut deo acceptior inueniri potest, nec qui pfectã animi magis virtutem ostendat, quicunq; id obtinet, maximum se in terris bonũ adeptum putet. Isti igitur duo huius sũmi principatus dignitate illustres nõ minora vestro principatui ornamẽta adiecerint, quã susceperint. Dixi de his duobus fratribus verè, ut opinor, non equidẽ astutè, nisi forsitan astutè, quia qui tales viros in medium proferens commendauerit, quomodocunq; datur, ipse bonam existimationem ab audientibus ferre potest. Contra quicũq; vituperationes omnium vult incurrere istis optimis principibus detrahat, quos fœlicitate ampla assecutos esse quid inuidendum est, quum virtute, & labore susceptarum rerum ampliora iam dudum promeruerint? At in illorũ ingressu patria direpta.

Me miserum, cur huius amplissimę atque ornatissimę ciuitatis animos nimis demissos, nimis fractos, nimis fortunæ succumbentes cogor interdum subaccusare? Non ne intelligitis illa militari furore fuisse commissa? Et si vulnus istud non sit sæpius attrectandũ, ut cicatricẽ queat obducere: dissimulandũ tamen nõ est calamitatem istam fuisse susceptã non crudelitate Principum Adurnorũ, quid enim illis mitius, qui tãdiu ad mœnia cunctãtes sederunt, & toties æquissimis cõditionibus deditionem fieri postularunt? Sed per eos factũ est, qui inualidi & imparati ad resistendũ, manũ tanti exercitus frustra distinere voluerunt: hinc milites ingressi furẽtes, armati, quos nullũ cohibere possit imperiũ, prædã sibi illam abstulerunt. Etenim potiri patria sine cuiusque damno ut velis, in te positũ, ut liceat, in fortuna: hoc sic considerate, ut vos de paruis ad maiora ducã. Ego in magistratu apud vos positus, si ad certos homines capiẽdos cohortẽ instructã miserim, quos seueritate legũ velim coërcere, hi qui mittuntur, illud imprimis exoptãt, ut liceat oẽs integros, incolumésque cõprehẽdere atque adducere: sed si qui adduci sunt iussi, paucis amicis inermibus, inertibúsque cõfisi, velint resistere, ac manu se defendere, neque vlla conditione se dedere, cedét ne cohors? terga vertet? ac nõ necesse erit inuadere, vulnerare, ac contra quã proposuerant, in cæde, ac sanguiue versari? Idẽ cogitate faciendum fuisse a militibus in bello postque vrbs non tradebatur: quid enim aliud? nisi dixerit fortasse aliquis longæua obsidione premendam fuisse ciuitatem: sed cuiusnã consilii fuisset expectare, dum ampliora a Gallis subsidia conuenirẽt? cuius ignauiæ si manus illius exercitus, quæ maximas iam hostium copias contriuerat, quæ præliis vsa fuerat assiduè secundis, omni voto pulchrius certarat, rem confestim gerere nõ potuisset? Quæ igitur aduersus hosce principes fratres querela, quos iusta voluisse credibile est? Voluntatis enim suæ erant domini, sed non occasionũ, & temporũ, quæ ad rei bene gerendæ facultatem semel oblata si neglexeris,

frustra

frustra deinde votis omnib⁹ petas: sed & fatum calamitatis huius vrgebat, ut arbitror, hunc populũ. Quicqd autẽ Deo « decretũ est immittere, id priuatim, & publicè habẽdum est, « & ferendũ: nec mortalium vnq̃ quisq̃ fatum propium con- « silio potuit vertere, nec ui cogere, nec fuga euadere, nec lati- « bulo fallere. Duæ propositę sentẽtię, vna eoꝝ, qui dederent « ciuitatem, altera eoꝝ, qui retinerent: quid effecit ut vinceret sententia, quę inimicissima reb⁹ vestris esset futura, propter quam deniq̃ in has ærumnas incidistis? nihil eoꝝ, quod pro causa quisq̃ afferre potuit, refello, sed illud dico, fortunam quoq̃ in causa fuisse, quæ diuinitus huic populo impendebat. Exercitus Cæsaris ad mœnia, qui si apertam vidisset ciuitatem, arma aduersus pacatos poneret: nunc eò res decidit, ut qui voluntate erant amici, necessitate hostes fierent vobis. At qui quũ illo tempore ciuitas ista tam florens obiecta esset hispanis, germanisq̃ militib⁹, illarũmq̃ gentiũ tota furori, & crudelitati pateret, nihil tñ passi estis Genuenses, quale victi, aut armis subacti solent, sed id tantũ, qđ proiecti, & indefensi ciues: præmia belli erepta, nõ victoriæ insignia deportata. Nam q̃ præcipuũ esse debuit, libertas vobis relicta, & hi principes reip. vestræ impositi, quos maximè optastis: nõ violata phana, nõ pudicitia coniugũ, liberorũq̃ vestroꝝ expugnata, nõ homines gladii, nõ tecta flãmę rapuerunt: at ui deuictis recusandũ vix erat, quin p̃da oĩs auri atq̃ argẽti victores sequeretur: p̃sertim quũ sciretis ex nulla sanctoꝝ copia bellatores deligi solere. Non mirarer si illo tẽpore nõ virtute tantũ feroces milites signa sequentes, sed lixæ oẽs, & calones, imbellésq̃, & inermes multi raperent: nã tutius multo arcæ ciuiũ, quã hostiũ arces expugnanť, & facilius aliquãto argẽteũ vas ex ędibus, quã de media acie ęneus hostis auferť. Qđ si alicui militũ manus exaruissent, aridũ nihilominus lucꝝ trahere potuisset. Magna prorsus calamitas haberet, si pacis tẽporib⁹ accepta fuisset: & tũc miraremur obtigisse, sed in bello calamitosiora multò accidere consueuerũt.

Esto, fuerit hęc magna calamitas, nō ne vestri animi maiores erunt? At sacerdotes etiam direptionē sensisse dicuntur, qđ temere delatū arbitror, si intelligimꝰ de his, quos arctior religionis nodus cōstringit, q̄les ex familia Frācisci, Dominici, Augustini sunt plures, nunq̄ factū reperietis, qđ sancti Xp̄i famuli, quos paupertas euāgelica oblectat, quicq̄ incōmodi tulerint: non adeo irreligiosi Theutones, ut in sancta domo, vbi nihil fuerat obuiā, raperent, & auferrent: habent magni sacerdotes duo tutissimæ possessionis: primū Dei charitatē, quā nulla manus de illoꝝ visceribus rapit: deinde pauptatē, rem minime inuidiosam, quę semp apparet salua etiā si negligenter asseruetur: imò quò maiore negligētia quisq̄ agit, eò magis illa corroboratur: demū nunq̄ aufertur inuito, paratis pluribus eam p̄stare. Reliqui autē ex sacerdotū genere, quorum non tam altū propositū, & qui ideo vberes possident pecuniaꝝ prouentus, sicut illis Iure & lege cōceditur (piget altius dicere, qđ ex his nōnulli animaꝝ salutē in crumenis vestris quærunt, inuentosq̄ ibidē nummos animabus omnibꝰ anteponunt) hi ergo in eadē causa, qua vos, experti sunt pariter idē, videlicet mobilē esse & volucrē diuitiaꝝ possessionē: nec ideo minus possunt crucifixū venerari, quia non vestitū, nec opes precantium nudus ipse spectat: nec excusare se possunt inopia simulachri: omne enim ligneū simulachrū saluū fuit. Nihil præterea sacroꝝ vasorum, aut signoꝝ, aut vestiū de tēplis sublatū reperitis: nummi verò, & ea, quæ nullā propriam sacri notā habebant, illinc etiam fortasse ablata sunt. Hæc, quæ de pietate animi, & religione dicta sunt, ut ea subiici direptioni non potuerint, transferre ad artes licet, & ingenuas disciplinas. Ergo philosophi, poëtę, rhetores, astrologi, Iuriscōsulti, & reliqui, qui ingenuis artibus mentē imbuerūt (tales enim inter uos video esse multos) hi si putāt sibi aliqđ tristius cōtigisse ꝓpter disciplinas, quas habent, ridiculè faciunt: nō enim disciplinis fuerūt spoliati, a ferro se tutos videbant milites, aurū & argentū esse illud intelligebāt, in qđ impetum

impetum facere oporteret: animi bona nec ipsi habebāt,nec aliis abstulerunt. At enim quicquid opū paulatim fuerat cō gestū, vno tēpore dilabebat: id absurdè se habere visum est vobis? minimè verò,imo scitis, qđ hæc diuitiaꝝ esse dicitur natura,ut angusto ad nos veniant itinere, exeāt latissimo. Si enim aues per nos inclusæ effracta cauea auolarent, diceremus id aues efficere solere, & minus molestè ferremus. Idē de pecunijs censeo cogitandū: nihil enim interest, nisi quod aues suis pennis, pecuniæ alienis manibus elatæ recedunt. Optabile quidē esset,disciplinati viri vos vestra etiam nunc habere,nec modo vos,verum cæteros,quid ni? sed num vostroꝝ gratia id magis continget? Si vos ea haberetis, non haberent milites,nec vlla facta esset direptio: sed nec prudētia animoꝝ vestrorum enitesceret,quam ostendite non esse vobis cum illis rebus ereptam, sed vsu magis corroboratam: nam meditari hæc externa bona locum sępius commutare, & id vbi acciderit leuiter ferre prudentiæ est,non alio forsitan tēpore melius cognoscendæ:vel si falsa sunt hæc, ostendat aliquis vestrum,qui disciplinas altius imbiberit,quid extra ordinem contigerit:nihil enim direptum est,quod diripi non potuerit: non enim illa virtutis, & ingenii, sed fortunæ fuerant, & tempoꝝ munera. Sicut igitur mirum non est,qđ fissile est esse diffisum,quod fragile diffractū, quod mobile, loco motum: sic miretur nemo quod naturā habuerit, ut auferri possit,ablatū esse:quòd si itinere illa suo progressa sunt, cur dolemus? an ostendetur dolore, & impatientia profici aliquid posse? E has quidem rationes ad tenuè sic elimatas nō doctis tantū,& eruditis viris, sed vobis pariter omnibus existimate viri Genuenses conuenire: nam quum sint præcipua in hominibus bona, diuitiæ,& sapientia: si quispiā quia diuitias amiserit,existimet se pariter sapientia carere oporte re,is non rectè senserit. Stultus est enim, & stultè facit, qui quū duo non possit bona, ne vnū quidem habere velit, & id præsertim,quod e duobus est præstantius: quod si nemo ve-

strum sit ita insanus, ut maiori parte rerũ suarum spoliatus proijciat qđ e multis reliquum fecit fortuna, existimans melius esse, si pluribus amissis pauca, quàm si nihil habeat: quomodo ad diuitiarum amissionem alteram hanc addetis grauiorem iacturam, proijciendo scilicet sapientiam, inęstimabilem in hominibus thesaurũ, quæ in aduersis etiam magis, quã in prosperis sit preciosior, cui tanta adhibita fuit a plurimis reuerentia, ut ea impellente non modo amissa non quæsiuerint, sed possessa quoq; externis donauerint. Hęc igitur sapientia, quę lumen mentis est vestræ, iubet uos cõsiderare quæ superius dicta sunt, tum hoc etiã, quod magis propriè ad uos pertinet. Ciuitas hæc plurimũ vtitur mari, & mercaturã assiduè exercuit, rem non tantũ fructuosam, sed etiam necessariam, nam pro bonitate agrorum, & varia fœcunditate camporũ, natura vobis sæuum mare, & horridas alpes ostendit, hoc nauium cursum excipere, illas nauibus materiam suppeditare iussit. Itaq; exaudientes assiduè hanc penè naturæ vocem, æquora assiduè peragratis. Magna huc copia importatur, & per uos cæteris Italiæ populis suppeditatur earũ rerum, quæ maritimis cursibus ex Asia, & ab vltimis usq; gentium littoribus conuehuntur: ex quo etiam magna huic vrbi diuitiarum moles accreuit. Quæ igitur tanta incidere queat calamitas, quam uos deceat perhorrescere? nam impendentes clades nulli debent magis nosse, nulli minus extimescere, quàm ij qui ventis, & fluctib⁹ vitam cõmittunt, sua linquentes, ignota perquirentes. Cogitet vnusquisq; vestrum tanq; in naui sedeat, sæuos hos bellorum turbines, immanes procellas, vndarúmq; moles immẽsas, quæ penè vrbẽ hanc obruerunt. Ex tetro hoc, & horribili Martis naufragio, quũ incolumis euaserit iactura mercium, non ne gratias, vel si nudus sit, agat deo, votiuámq; tabulam templo suspendat? non enim quia terrestris fuit tempestas, ideò inflectere magnitudinẽ animi, & proijcere pietatem debetis. Dixi de sacerdotibus, de disciplinatis, de mercatoribus. Restatis opi-

statis opifices, & uos tenuis sortis homines, quibus si dixero modicum ablatum esse, respondebitur illud modicum esse multum, quũ de modico aceruo sublatum sit: ideò idem vobis proponens qđ cæteris, mobilitatem scilicet, & imbecillitatem diuitiarũ, exemplo hanc in rem vtar. Onagrum rusticanus quidam fuste quũ impelleret vitro onustum, interrogatur a viatore, quid nam veheret, nihil inquit, ubi iumentum hoc impegerit. Ergo infimæ sortis homo fragilitatem mercis, cui timet, assiduè contẽplabitur: elegans Genuẽsis plebs multarũ rerum perita, non longè melius fragilitatem opum humanarum expendet? nesciet cadere crebrius iumentum diuitiarum, quas luminibus vtens nullis lubrico tergo vehit. Quòd si vnusquisq; vestrũ, qui in pecuniolis, & argenteis vasculis rem collocauit, interrogatus fuisset antea, quid possides? non ne respondere debuit, sicut homo agrestis ille fecit? Nihil equidem possideo, ubi ingruerint milites, ubi fures, ubi incendia, uel aliud quid eiusmodi: hoc si responsum fuisset, omnes tunc laudarent. Nũc autem si accusare dicitis non responsum, sed responsi euentum, haud sapienter facitis, quasi respondendum fuerit, quod accidere non possit. Verè autem hæc, quæ tot casibus obiecta sunt, penes nos esse custodiæ & fruendi in dies causa, nõ nos illorum esse dominos existimandum est: dominam autem dicere debemus fortunam, quæ non ex astris religata pendet, sicut insanientes nonnulli perhibent, nec inter deos est, ut gentes olim voluerunt, sed ipsa deus est, aut dei iussum sacro nutu hæc inferiora cõmutãs, ideo huic maledicere nephas. Hic dixerit fortasse aliquis me, qui extra telorum iactum fuerim, nullúmq; vulnus susceperim, facile aliorum miserias verbis leuare. At nostra etiã in patrio solo belli fulmen pcussit, & si grauius etiam quid in posterũ accidet (incertum est enim quid pariat superuentura dies) spero auxiliante Deo, qđ videret aliquis me facile quodlibet ferentẽ: quanq;, ut hoc se habeat, ego spectare vos iubeo nõ qui sim qui ista loquor, sed quid loquor:

si enim dico leuia, cōtemnite, vel iubete potius silere; sin autem verba mea, quæ diuites facere nō possunt, magnarum tamen rerum considerationem afferre possunt, audire diligēter oportet: necꝫ enim eiusmodi orationis genere vterer, nisi in rem esse viderē. In vniuersum autem dico vobis Genuenses, lætandū vobis potius esse, quia pro periculi magnitudine nihil sæuum, nihil atrox, nihil horribile perpessi estis. Ponite ante oculos nobilissimarū vrbium grauiores casus: Carthago æmula quondā Romani Imperii deleta, Numantia excisa, Corinthus diruta, Aquileia flammis, ferróqꝫ consumpta: ipsa Roma, cuius corde, lingua, manu superatas cōstat oēs nationes, & quæ ascendentem vident, & quæ descēdentem solem, & quæ ab vtroqꝫ latere sunt, tamen conuerso fato toties barbarorum armis expugnata, & quandoqꝫ solo æquata, diruta, & nullum vestigium ciuitatis relictū iacentibus tectis, puberibus interfectis, reliquis in seruitutem abactis. Ergo hæc illi vrbi contigerunt, quæ tam latè patētis imperii domicilium, & deorum (ut quidam dixit) patria fuit: vobis omnia fere incolumia relicta, coniuges scilicet, liberi, vosmetipsi, libertas, leges, imperium, res nautica, tecta patriæ, patria ipsa: quę igitur tam atrox fortuna? Quin videte quò progrediar, si hæc templa, hos ipsos parietes, demū quæcunqꝫ nunc cernimus, prostrata, & reuulsa viderem, superstitibus modo viris, tamē adhuc vrbem hanc superesse dicerē, & idem vobis dicendū. Si quis aliud sentit (verto nūc ad vos sermonem literati viri, qui historias tenetis) si quis inqꝫ aliud sentit, simili errore tenetur, quo teneri potuit potentissimus ille Persarꝫ Rex Xerxes, siquidē Athenas ingressus habitatoribus vacuas, credidit vrbem illam cœpisse, quū templa inflammaret, tectáqꝫ illa, et mœnia euerteret: sed verius fuit illum vrbis simulachrū cœpisse: nam vrbem ipsam penes Salaminā inuenit, quæ fortissimè dimicans, illius nauales copias perculit & afflixit: & profectò ita se res habet, ut vrbs cōsistat in fortium, prudentiúmqꝫ virorꝫ animis, non in tectis,

& parietibus: quũ verò hæc etiã vobis, & vobiscũ supersint, plurimáq; alia ornamẽta hominũ, & locorũ, profectò istorũ, quæ ablata dicuntur, ne meminisse quidẽ oporteret: damnũ pecuniæ accessit, dedecus nominis abfuit, forsq; vestra, ut in fœlix dici queat, nõ tñ pudenda, aut etiã forti viro querẽda: fœlicissimi sanè præ finitimis vestris, qui hoc tẽpore infestissimas direptiones perpessi, ut nihil penè illis sit reliqui, nõ adhuc tamẽ quieti, quorũ latus barbarus hostis arma quatiens p̃mit: illi autẽ miseri aut experiuntur, aut quã nõ experiunt̃ metuũt calamitatem: uos & a mari, & a terra pacata omnia possidetis, hinc firma classis, illinc inuia iuga muniunt, sentiunt oẽs quàm fortiter uos hinc vires vestræ, illinc ingenia locorũ defendant. Quod superest colligite vosmetipsos, & cõmune reip. vestrę bonum concorditer diligite: quod nam hoc? ipse Deus, qui expetit, ut opinor abundantius quàm unq; antea ciuitatem hãc se ipso replere: nam quò magis domos auro, atq; argento vacuas, & pectora harũ rerum cupiditatibus uacua inuenturus est, eò vberius ipse se diffundet, quia & uos capaciores ipsius eritis: sic ex calamitate immensum etiam lucrũ vobis reponet: in hunc si consentientes eritis, erit ille uobis omnia, firmamentũ, salus, diuitiæ, gloria, vinculum etiam pacis, & concordiæ vestræ: nihil odio habebitis, nisi forsitan peccata, sed nec ulla erunt peccata, quoniã magistratibus parebitis, & legũ iussa sponte facietis. Adsunt etiam uobis hi duo principes tanta virtute prędití, quanta veterũ nemo: qui non ideò de principatu pugnauerunt, quia cuperent tantũmodo prodesse, sed ut prodessent: res ostẽdit, nunc enim quòd domi rerum potiuntur, procurationẽ fortunarum, & salutis tum ciuitatis, tum singulorũ ciuium susceperunt. Circunspiciunt ab altissima hac principatus specula omnes reip. partes, quicquid in his ægrũ erit aut saucium, ut sanent, quod abiectum, ut reducant, quod nutabit, ut firmiori vinculo cõstringant: ostendentes dum sic agunt, quòd qua sapientia hæc adepti, eadem auxiliante administrant.

Laudandum illud præcipuè, quòd eam potissimum adhibet curam, ut cuncta magistratuum præsidiis adornentur. Et huic quidem rei hic, alii alius præpositus est, prout cuiq; obtigit, seu potius prout cuiusq; dignitas, mores, ingenium, tẽporis ratio postulare visa sunt. Mihi verò ea reip. pars commissa est, quæ iudiciorum vim amplectitur, & lites legitimè dissoluit. Vt autem (postquã huc relapsus sum) finiatur oratio vnde incœpit, extremáq; primis respondeant, hodierno die Genuenses in possessione magistratus mihi delati vestigia fixi, qui quidem ut vobis, liberísq; vestris faustus, ac fortunatus sit, exopto, Deúmq; immortalem comprecor, ut clarissimum lumen menti præferat meæ, quò cuncta fidei, ingenio, prudentiæ nostrę commendata, rectè, grauiter, iustè peragantur: sic discedens iucundam nominis mei memoriã istic penes uos reliquero: ipse autem a vobis hinc beneuolentiam auferam sempiternam, cuius equidem rei mihi hodie videor pulcherrima iecisse fundamenta. Illud enim a vobis Genuenses postulo atq; efflagito, si magistratum istum intelligitis non mihi honori magis, quàm oneri futurum: si pro commodis vestris vigilandum semper & laborandum cognoscitis nullis, aut paruis præmiis: quod ego bene gerendæ rei studio suscepi munus, id susceptum approbetis, méq; perlibenter animis vestris recipiatis, ac ametis: quod vel consuetudinis vestræ retinẽdæ causa efficere debetis, quoniam vos decet faciles esse oĩbus, ac benignos: idq; de vobis ab initio & sperans, & credens, quũ inscitiam dicendi noscerem meã, non dubitaui longiore oratione auribus vestris obstrepere.

PRO ILLV

PRO ILLVSTRI, ET GENEROSO VIRO Ioanne Rotario Vitiæ Domino, in eius funere.

ORATIO SEPTIMA.

NEMO vestrum existimet viri Astenses, qđ hodie de clarissimi huius defuncti laudibus verba facturus processi, me eloquentia, aut alia ingenii facultate fretū munus suscepisse: sed me id defuncto tribuere voluisse, cui nihil ferè aliud iam tribui potest. Quanquā mos etiam iste, quo egregii ciues e corporibus lapsi supremo eorū die maximis, & quamamplissimis præconijs efferuntur, non sine summa ratione institutus, & retentus videtur, qui multum etiam autoritatis sibi vendicat propter vetustatē. Nam laudare viuentem pudor primùm impedit. Deinde id nō rectè fieri sapientes interpretantur: propterea quòd prędicatione laudū suarum multi mortales plus ęquo animū extulerunt: accedit morum, & fortunarꝫ mutatio, ut incertū sit quis boni & iusti viri nomen, quis fortunati & potentis titulum diutius ferre possit. Postremū illud est, quod huiuscemodi oratores ingentem laudum numerum effundentes in eos, quos vident, spectare nescio quid, & turpissimā adulationis figuram tractare videtur. At contra ubi defunctorꝫ quempiam laudaueris, nulla inuidia, nulla turpis flagrat suspitio, tutissimeq; ingeniorum vela horum laudibus committuntur, ut pote in quorum studia, & opes nihil iam amplius fortunę, & intemperantię liceat. Nihil deniq; melius, quàm sub defunctorum exemplis superstites ducere, & pręmonere quodammodo ad virtutis opus, ut intelligant nominis sui iam curam habēdam, & posteritatis opinionem sibi post fata spectandā. Quod si incendimur etiam studio ęmulationis audientes pręclara maiorꝫ gesta, viuorꝫ profectò magis refert, quā mortuorꝫ, ea cōmemorari: quoniā istis iā defluxit ętas, quę su-

quæ superest alteris ad exercēdam uirtutem. Itaq; terrarum olim arx, domicilium imperii Roma, morē istum asciscens, laudationes sæpissimè intulit funeribus, non uirorū modo, sed illustrium etiam fœminarum: & Athenis quotannis eorum, qui pro patria bello occubuerant, solemnia merita rhetorū ore prædicabantur. Neq; tamen ego is sum, uiri Astenses, qui fas esse putem defunctis & quę habuere ornamenta, & quæ non habuere, addicere: neq; enim ea gratia illi honestiores fiunt, & impudentiæ notam subeunt quicunq; ad hęc facinora exercentur: eorum tamen studia, & uirtutes, & prę claras dotes illustrare sermone, & splendidè auditoribus tradere, oratoris prudentiæ conuenire existimaui. Quamobrē magnū nunc humeris meis onus sciens tollo, nō enim debeo clarum uirum obscuro sermone appellare, sicut nec obscurū hominem claro sono efferre uellem. Aggrediar tamen, & quàm potero diligenter exequar quæ sunt huius temporis: quòd si fortasse defecero, est quo me consoler: propterea qđ humanissimos inter uiros, quales uos estis, bene dicendi uoluntas dicentis sæpius famā tutata est. Illud quidem constat inter homines quosdam optimos esse, alios mediocres, infi-
» mos alios, tum uerò ad extremū deterrimos. Optimus sanè
» is uir est, qui omnibus laudibus cōmēdari meretur: optimo
» proximus, qui pluribus, infimus qui paucis, deterrimus qui
» nullis. Itaq; si, quemadmodū facere instituistis, attentos uos præbueritis, operámq; aurium flagitanti mihi benignè dederitis, efficiam hodie dicendo, ut intelligatis Ioannem nostrū in optimorum ciuium genere fuisse, aut si quispiam renuat, non dubitabit ille profectò nō longo interuallo proximum optimo cuique adiungere: neq; sanè uos pluribus tenere debeo iactando & genus, & diuitias, & nobilitatem, & parentes, & reliquas fortunæ dotes, quibus ille abunde floruit: sunt enim per se illa nota satis, & illustria. An multis uerbis enarrare coner Rotariæ domus, ex qua illi paternū genus, amplitudinem, potentiam, opes? nihil profectò necesse est.

Quis

Quis enim siue ciuis, siue adeò peregrinus ignorat? ad nullas gentes ciuitatis nostræ nomen venisse arbitror, quin eodem huius inclitæ familiæ fama, noticiáq; peragrarit. At ne illa quidem longũ sermonem deposcunt, quemadmodum fortuna tali cum viro benignè agens cõtulerit copias, & plurimas bonorũ facultates: connubium prætereà fortunatissimum vxore, sobole, pecunia, quæ omnia cum mirum in modum effulgeant, spectare licet, sed veluti per transennã: mirari verò nullo modo, quoniã id virtuti soli debetur. Quã diu autem in istis fortunæ muneribus iactare me possem dicendo? & quantam tunc colligerem eorum gratiam, quibus hæc sola pulchra videntur? mihi verò tunc pulchra, quia in illo erant veluti instrumenta quædam, & subsidia virtutis. Tú ne igitur (inquies) adeò induxisti in animum strictim singula recensere, ut cursoris nobis potius oratione, quã rhetoris vtaris, & ne nobis quidem enumerabis familias huic ipsi viro cognatione deuinctas? quid refert, quũ cognationes in verorum bonorũ parte non ponantur, & tam multæ sint, ut facile enumerari nequeãt? proficiscendũ siquidem mihi esset per plurimas ciuitatis domos, per finitima oppida, longius etiam eundum foret, ut amplissimam Vicecomitũ familiam Mediolani florentem apprehenderem: dicam iterum, quid opus est huiusmodi in rebus tẽpus terere, quod pleriq; ante me oratores fecerunt? Ipse breuissimè dixerim qđ plurima adeptus est iste fortunę bona, & vera bona, quia bonũ dominum inuenerãt. Quamobrem si placet ad reliqua animum intendite, ut superioribus multò, & potioribus dotibus Rotarium nostrũ se ipsum ornasse intelligatis. Ego innocentiã virtutũ omnium maximam arbitror, cuius compotes pulsis fractísq; vesanis cupiditatibus nemini vnq; mortaliũ dicto, aut facto, publicè, aut priuatim obfuerunt, quanq; possent: hoc enim solo quòd innocuã vitam ducimus, a beluis segregari videmur. Etenim quũ natura blanda sit sui ipsius conciliatrix, hanc secutæ feræ vbi vsus tulerit, nihil morantur

calamita

calamitatem, & pauperiem inferre: at illud hominum est ratione vtentium ut nemini detrahant, non ut opes, non ut honos, non ut gloria, nō deniq; ut vita ipsa augeatur: non enim si ad hominem spectat iniuriam traditam ferre humanè, idcirco tradere alteri humani sit animi, sed efferi potius, & immanis: ducere exercitū, conferre signa, stantes hostium acies ferro decutere, expugnare vrbes, nationes plurimas imperio, aut suo, aut patriæ adiungere: præclara hæc sunt, vel habentur potius, quādoquidē popularē admirationē latè mouent: testantur honores huic hominū generi publicè habiti, & laudationes in illos elaboratę. Quamobrē quū Q. Maximus Scipionē Aphricanū posteriorē in eius funere laudaret, multis verbis de imperatoriis Aphricani laudibus disseruisset, addidissétq; illum Numantiā euertisse, Carthaginē æmulā Romanarū viriū deleuisse, celeberrimos triūphos duxisse, ad extremū sublatis manibus Dijs immortalibus gratias egisse perhibetꝰ, qd' Aphricanū Romanæ vrbi dedissent, necesse enim fuisse, ut imperium terrarū illic foret, vnde ille ortum duxisset. Gloriosa sanè laus tantarū vrbium victorē euasisse, & Romani imperii fatū quodāmodo extitisse: at illa laus omnino maior, quæ nō populari trutina, sed prudentiū iudicio expenditur, oculos, manus, mentem ab alieno continere, malle acerbissima perpeti, quā iniuriam inferre, aut referre se ipsum sibi ipsi subiicientē. An non sit maior, quando in omni sæculo reperti potius fuerint qui hostem, quàm qui cupiditates suas frangerent, quū tamē illas explere velle inexplebile fore malū viderent? Nunc autem rogo vos num Ioannes noster innocentissimè vixerit? an aliter existimatis? Certè si mentes omniū vno ore sonare nunc possent, responderetis vtique innocentissimè: quandoquidē nec oculus eius petulans fuit, nec lingua procax, nec elatū supercilium, nec manus rapaces: quē enim læsit ille vnq; bonorū? cuius opes rapuit? corpus contudit? existimationē infregit? Illum scitis vos oēs (neq; enim alibi viuere contigit quā apud vos) nullū

superbum

ſuperbũ,atq; arrogans facinus edidiſſe, nullũ nequitię & fœditatis exẽplũ incitauiſſe,quanq; vberrimũ, & lætiſſimũ adeſſet patrimoniũ,qđ ſponte ſua addere anhelitũ,ſuperciliáq; hominũ augere ſolet,& diuitię ſupereſſent,quæ vitiis alimẽta ſuppeditare poſſunt:ſed nemo tam alicuius mancipii,quã ſui ipſius ille dñus,nemo tam alienę, quã ſuæ vitę ille cenſor fuit. Et iis rebus pſpectis,mirabitur aliquis me initio orationis hũc virũ in optimorũ ciuium genere collocaſſe? Optima quidẽ eſt hæc laudatio,nec longa tñ,duobus enim clauditur verbis,Innocens erat: ſed id quantã habeat vim, ex eo facillimè pſpicietis,ſi conſiderare volueritis qđ fœlicitatis euenturũ cunctis eandẽ ſtationẽ tenentibus. Si tali ingenio cęteri ciues,vel oẽs potius homines fuiſſent,aurea ætas,de qua tantũmodo audiuimus,hac tẽpeſtate floruiſſet, quid tunc beatius? fides ſcilicet,& rectũ ſponte ſua apud oẽs valuiſſent,nõ ſuppliciis, nec legũ metu vita conſtricta teneretur, audacia omnis,& improbitas exularet:non vidiſſemus bella,non ſeditiones,non cædes,non vulnera,non(qđ minimum eſt)nudatos gladios,quin nec ipſi fuiſſent gladii, quum nemo inſidiaretur, nemo in alterius perniciem quicq; cogitaret. Fœlicia nimis tempora primæuæ gentis, quibus qđ facere nephas erat, ne fieri quidem poſſe credebatur: nulla flagitia tunc,at nunc plurima ſpectantur. Quamobrẽ audite nunc de Ioanne aliud, ſi tamen aliud. Non contentus illo fuit,vt non noceret, illud etiam addidit, nocere cupientes ut repelleret. O virũ verè innocẽtẽ,o magnũ hominẽ,qui cogitauerat virtutem deſidem non eſſe, aut ſomniculoſam. nam ad innocentiã ſpectat non illud modo, ut non lædat, ſed illud quoq; lædentibus ut reſiſtat: ſunt enim hæc quaſi eius duo membra quædam natura inter ſe cohærentia, quæ diſtrahi nullo modo debent, quorum unum ſine altero gratum, & iucundũ eſſe uix poteſt. Neq; uerò ſatis eſſe ſtatuo in ciuitatis moderatore ipſum ſuam & ſuorum libidinem ratione compreſſiſſe, niſi idem multorũ ſceleratorũ audaciam cum

fortunæ

fortunę ſuę copijs tum p̄ſenti animi fortitudine oppreſſerit. Nam qui iniuriam non retuderit quū poſſit, tam in fraude eſt, quam qui facit: videtur enim muto quodāmodo aſſenſu iniuſtè facto opitulari, qui prohibēdi oblatam deſerit facultatem: hinc militię deſertorem leges non minus puniendum exiſtimaruut, quàm qui patriam ui, manu, armis oppugnarint: non eſt timoris mei, vel etiam pudoris exēpla nominatim inducere: ſed vos, & cauſas, & homines, & tempora meminiſſe poteſtis, & reputare quoties, & quantis prælijs conſilia Ioannis incitatum perditorꝝ hominū furorem a repub. a bonis omnibus, a iucundo ciuitatis ſtatu repulerunt, neq; enim ſemel, neq; paruis in cauſis, neq; leui dimicatione repulerunt, neq; verò hac in re obſcura huius viri erga patriā ſtudia extiterunt. Magna hæc quidē, nec minus grata, quoniā ſtudioſè veluti naturam inſequēs faciebat. Theodori enim erat filius, quem virū ob conſilii, & ingenii altitudinem non modo vos, ſed Sabaudię, & Mōtisferrati Principes plurimi faciebāt, ut maximis in rebus eius opera vterentur. Paternū igitur huic fuit virtutem colere, non quòd virtus tradi alteri poſſit tanq; vas, aut prædium, aut tanq; aliud quippiam hæreditarium relinqui: ſed quemadmodū ex fulmine fulmen, ſic ſæpius ex vna probitate altera emicat, ut vel hoc nomine Theodoro abunde ciuitas debeat, quòd talem nobis filium genuit, & reliquit. Illud etiā pono diuitias Ioannis ad vſum, & amicitiam illuſtrium externorꝝ patuiſſe, quos in vrbem hanc aduentantes largiſſimè domo excipiebat, neq; id ſine ciuitatis cōmodo, cuius amplitudinem, potentiam, dignitatē, de priuatorꝝ copiis finitimi metiuntur. Cōtenderunt nuper de Inſubrię imperio clariſſimi inter ſe duo Reges exercitu, & caſtris, vario euentu pugnatum eſt, & nunc Galli, nunc Hiſpani victricia arma circūferebant: dici vix poteſt quàm vtrarumq; partium duces amarent comitem, carum haberent, honore omni proſequerentur, cuius etiā tectis ſe ipſos ſæpiſſimè crediderunt. Arbitror equidem nō ſine ſingulari

prudētia

prudentia effici potuisse, ut vtrorũq; vsum, beneuolẽtiámq; retineret, inter quos tantis de rebus bellicũ certamẽ intercedebat: gratiã autẽ, quã ex hospitalitate, & familiaritate sum morũ principũ collegerat, illã semp publicis intentã cõmodis fuisse reperietis: siue enim iracundiã regũ placare oporteret, siue liberale aliquid impetrare, hunc virum quęrebatis. Ille studiosissimè voluntates vestras excipiebat, & quicqd cupiebatis, nullo labore vestro perfectũ tradebat: nec tamen sibi quicq; pro his repẽdi voluit, nisi beneuolentiam vestrã, hanc ille magni muneris loco duxit: publicos autẽ census, ut cura tuẽdi proprios, ita fructu credidit alienos. Nolo nũc referre quanta in egentium, & miserorũ hominũ auxilium contulit, miserationis enim opus ab ostentatione procul esse debet. Si quã etiã in amicorũ quempiã liberalitatẽ exercuit, si quos etiã opibus suis ad honores, & magistratus prouexit, prætereo: hæc prędicent illi potius, qui se tunc vehemẽter adiutos putabant, & quos æquũ est huiusmodi beneficiorũ memoriã perpetuò colere: nam ipse Ioannes ea minoris pendebat, & vel statim obliuiscebatur, vel obliuiscenti similis erat: certè diuitias nõ ut bona sua amplectebatur, sed ipse potius diuitijs suũ esse bonũ videbatur. At nõ pecunia tantùm, & opibus, sed opera, & comitate multò etiã plures sibi deuinxerat, dum in aduersis illorũ rebus ostendit se dolore pariter commotum, & in secundis lætitia simul affectum. Plurimos etiam consilio subleuabat, admonens in negocio quopiam tractando quid fieri oporteret, & circunspiciens pro illis, nę aut fallerent se ipsos propter inscitiam, aut de aliorum fraudibus caperentur. Sed ecce me, dum apparo de huius viri religione erga Deum, pietate in patriam, charitate in suos, benignitate in alienos plura etiam dicere, repressit ab hoc impetu acerbus conspectus infœlicis illius busti, qđ tam densa facularũ nube obtectũ est, ut maximũ hoc templũ deflagrare vnà videatur. Vbi enim cogito hominem tantarũ virtutum fato interceptum, fati iniquitatem accusare penè compellor.

Siccine tantus vir in ætatis suæ robore concidit? tám ne citò lux ista patriæ ab huius cœli luce aufugit? quantam iacturã fecimus? alij propinquum fidissimum, alii amicum carissimũ, omnes ciues amisimus commodis nostris natum: quomodo consilio, opibus, gratia, tum vniuersos, tum singulos subleuare potuisset? O grauem, & acerbum mortis tuæ nuncium vir optime. O horam illam lugubrem. O res humanas tam facile sponte sua labentes. Video miser, video tot nobilissimos sordidatos non minus funestis illis insignibus aduersam hanc fortunam, quàm ego voce deplorantes. Au si sunt nonnulli viros sapientes, si distortissimi sint, dicere formosos: si mendicent, diuites: si exulent, ciues: si nudi sint ab amicis, satis a se ipsis bene comitatos. Iste verò singulari animi sapientia præditus, reliqua bonorum genera non nudis appellationibus, nec per ingenia & interpretationes prudentum, sed rebus ipsis fuerat assecutus. Hinc spectaculum oriebatur admirabile, dum virtus fortunam regeret, virtutem fortuna bearet, euanuit nitor ille, & cuncta, quæ nunc circunspecto, atrum mihi inducere colorem videntur. Sed iam finis sit querelarum, excitemúsq; si possumus nosmetipsos: nam a mœrore acerrimo mentium confectore censeo fugiendum validissimè, & quàm celerrimè, ac, si liceat dicere, quantum pedes valent. Quid enim hi luctus, hæ lachrymæ, hi questus sibi volunt? num absentem hac ratione reducere valemus? Stat contra immobile mortis decretum, non precibus, non precio, nõ misericordia flectitur illa, ut quem exceperit remittat. Quid fles igitur? aut quam obtendis causam fœmineo dolori? perijt propinquus, amicus meus. Quid ergo? tu preces fuderas, vota adhibueras, ut immortalitate donaretur? minimè, inquis, sed ut diu superstes foret. Quid mihi diu memoras, quòd verbum in humanis cadere non potest? An diu tibi viuere videtur, qui septuaginta, aut octoginta attigit annos? non profectò, ne si vel animalia quædam consulas, quæ plurima sæcula viuendo exce-

dunt-

dunt. Quòd si æternitas cogitabitur, intelligemus homines floris in morem exoriri, & repente decidere. Superet aliquis viuendo multa annorum millia: attamen huius temporis, quo vixit, nulla erit portio, si referatur ad id, quod non vixit. Quid si ostendo humanæ vitæ diuturnitatem, quantulacunque sit, in annorum multitudine non esse positam, nonne tandem pudore coacti oculos abstergemus? Da mihi sacrilegum, da periurum, da sicarium, da adulterum, ille quisquis fuerit, & si spatiosius Nestore, & Cumæa vate terras insederit, parum, imo nihil vixisse videbitur: quid ita? quia vita turpis flagitiis inquinata, ne vita quidem habenda est. At quicunque pro annorum captu virtutis munere functus fuerit, diripiatur a morte ut libuerit, satis diu vixit. Vt enim cothurnus non is melior, qui longior, sed qui pedi magis habilis, sic vita ea pluris æstimanda, non quæ productior, sed quæ virtutibus melius congruit: frustra igitur querimur circunuentos, & oppressos. Optabamus Ioannem diu viuere, diu vixit, si non annorum, sed virtutis in eo numeretur progressus. Et hoc quidem, ut arbitror, nō parum vos solari potest. Sed ecce nunc, dum cupio vos aliis rationibus a luctu reuocare, venit in mentem facinus quoddam durum, agreste, ferum, capitale: vellem autem nemini contigisse id quod dico, aut aliis potius, quàm vobis: animaduertite quæso. Est quidam, qui certæ rei fecit depositum penes alterum, ita ut re vteretur, sed hactenus quousque deponens sineret. Transierunt aliquot annorum curricula, adest creditor, depositum reposcit: quid tum ibi debitor? ille statim æquissimo animo quod acceperat refert, ut hoc debitoris nomen, quod molestū esse solet bono viro, effugeret, non ut molestius efficeret, si improbus esse debitor videretur: iniquum videbatur non modo depositi fidem fallere, sed vel iustam repetitionē paululū remorari. Itaque ne remoratur quidem: audiūt debitoris amici, ex his non vnus, aut alter, sed plures numero incusant

factum, queruntur, eiulant, clamant, molestè ferunt. O improbitatem hominũ dixerit quispiam. qui nam hi? Nos scilicet ij sumus, qui ægrè ferimus Deum a Ioanne reuocasse vitam, quam nulla præstituta die vtendam dederat: qui dolemus id ablatum, quod ipse Ioannes veluti depositũ sponte reddidit: quòd si turpe, & iniquum est, nec antea præ dolore perspectum, nũc re animaduersa moderato vnusquisq; ferat animo quod accidit. Esto, dolor oppresserit subitus, sed quousq; ei parebitur? omnibus in rebus adhibendus modus est: etiam in lachrymis est aliquid, quod sit satis. Nulla tam imbecillo animo fuit vnquam mulier, quæ viro, aut fratre, aut liberis orbata, diuturnitate luctus attrita, finem aliquando non fecerit lugendi. At masculi non est animi expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratio possit, admonens non esse miserius natum mori, quàm nasci moriturum. Ferunt Democritum ad Persarum Regem, qui vxorem amiserat accessisse libenter consolandi hominis sanè causa. Verùm quum stultus Rex lugeret, ut nemo, nullámq; prorsus cõsolationem admitteret, pollicitus est ei Democritus animi sui causa arte quadam defunctam ab inferis euocaturum, daret modo operam, ut tres viros adipiscatur, quibus nihil flebile vnquam, nihil luctuosum contigisset, quorũ nomina defunctæ tumulo inscriberet: erexit se Rex in spem veniens reuocandi coniugem, & eius iussu toto regno indolentes, illuctuosíq; exquiruntur: retulit post flens ad Democritum inuentum neminem. Tum ille, es ne tu (inquit) homo impudens, qui adhuc plores, quum ex tanta hominum multitudine ne vnum quidem adducere potueris, quem non dolor attigerit, & luctus? Vereor ne eadem impudentia diutius in luctu versantibus nobis impingatur, quasi illustrium virorũ funera, & amicorũ, & propinquorũ non vndique ducantur. Vetuit Democritus Regẽ affligere se luctu, admonens nullum hominũ prẹterire vitẹ curriculũ sine calamitate: at hoc qđ omnino necesse est præterire, siue

velit

velit quispiam, siue nolit, quātò iustius luctum imminuere potest? Si obliuiscimur nos conditionis nostræ, qua mortales geniti sumus, at non obliuiscitur suiipsius natura quæcunque orta sunt ad interitū rapiens, cui resistendi ratio si qua esset, iandiu inuenta fuisset, & inter tot sęcula immortalis aliquis extitisset: sed hoc ita semp habuit, & habebit, ut cuiuis homini nato nō sit facilius viuere, quàm mori. Quamobrē si ita visum est Deo, & aliàs quidem alios, nunc autem istum de huius lucis vsu deponere, nos qui sumus, ut damnare audeamus? non nouū aliquod, & inauditum, & omnibus retro sæculis ignoratum accidit calamitatis genus: quòd si accidisset, ne tum quidem vehementius affligi oporteret: superior enim viri mens omni fortunæ contumelia esse debet, neque frustra suscipienda esset tetra & funesta animi ęgritudo, quę de grauitate incommodorum nihil vnquam detraxit. Quū verò nihil tam e naturæ conditione sit, quàm e vita decedere, quum inter incerta humana omnia mors penè sola sit certa, & ea nihil magis vulgare, quomodo non vulgari modo ferri oportet? vel si statuerimus grauiter esse lugendum, pudeat leuioribus malis lachrymas præbere: quid enim tam triste contigit in exanimato hominis vnius corpore, quum Papiæ, Alexandriæ, Mediolani præstantissimarum sanè vrbium cadauera ante oculos nostros iacere videamus? Illic egestæ sæpius opes militari manu, & eodem belli impetu tecta pluribus locis procubuere. Sed quid externis vtor exemplis, quum domesticis possim? Nos, nos grauia experti, grauiora etiam pertimuimus: quoties natali solo deserto fugæ vitam mādauimus? quoties præda militum, & finitimarum gentium miseratio effecti sumus? quis iam scire potest, an peiora ingruant flagrantibus adhuc bellis? non enim res huius populi tam bene positæ, & fundatæ sunt, ut non leui impulsu cōcidant omnia. Si lugere libet, iustiores luctus causas calamitosa tempora præbebunt: vt ex eo saltem conueniat præsentem luctum moderari, quo sufficere reliquis malis

flendo possimus. Nam Ioãnem ipsum cur lugeamus, quem ab acerrimis sæculi huius fluctibus diuina voluntas subduxit, & exulem antea ad naturalem nũc suã domũ reuocauit? Equidem referam nunc vobis (præstantes viri) quod aliquando in mentem venit: nam superioribus annis, quũ vberiori ocio affluerem, illa me cura cępit, si fortasse possem ipse humanæ vitæ simulachrum aliquod leuioribus in rebus videre: ea me diutius torsit inuestigatio, tandem reperi quod quærebam: attendite diligenter. Vita humana, ut mihi videtur, conuiuii cuiusdam magni simillima est, ad quod omnes æquè ciues vocati diuerso studio feruent: hi gaudent confabulationibus, & conuictu: illos delectus ministrorum ordo, ingens ferculorum pompa, miráq; totius apparatus descriptio attonitos tenet, & hiantes: alii satis habent illa in multitudine purpuram, cultúmq; diuitis fortunæ ostentare: nonnullos refectio corporis, epulæq; ipsæ quantum sat est, sumptæ delectant: nequiores qui flamma succensi gutturis apposita nullo discrimine vorant, visceribus tantum suis abdominíq; indulgentes: honestissimi verò omnium, qui conuiuii dominum cunctos tam iucundè & comiter epulo excipientem noscere, & notum colere affectant, & ea gratia se illo venisse lætantur. At vbi sublatis mensis assurgere iussi, hi demissos se queruntur, qui nullam, aut pessimam, exhaustámq; habent domum: at qui commodius se futuros domi suæ arbitrantur quàm alienæ, læti abeunt, tandiu in conuiuio morati cum voluptate, quàm eius rei vsus & opportunitas ferebat. Exposui simulachrum: attendite modo an huic simulachro humana vita congruat: nam ad illam, tanq; ad communem conuictum vnusquisq; hominũ iussu Dei vocatus: alii sermonibus, fabulisq; ducuntur, in quorũ nnmero poëtas, oratores, historicos etiam poneremus, & quicũq; eorum numeris, musáq; delectantur: alii ut philosophi delectantur apparatu vitæ, quos mundi pulchritudo, nobilitas cœlestiũ, terrestriúmq; rerum in admirationem traxit: alii copiis, diuitiis, po-

tijs, potentia ſpectandos ſe præbent: alios negociorum, ſecularíúmq; rerum cura tangit, atq; id tantum, quãtum ſatis ſit ad vitam honeſtè degendam: alios nequam homines turpiſſimis voluptatibus deditos videmus: & vt illic honeſtiſſimũ eſſe genus eorum diximus, qui epuli dominũ noſcere, & notum colere affectãt, ſic iuſtiſſimi, omniúmq; optimi, & Chriſtiano nomine maximè digni, qui in hanc vitam inducti autorem vitæ Deum agnoſcunt, & ſatagunt venerari, ſanctiſſiméq; eius mandata conficere, & cuſtodire ſtudent. Mox cõuiuium ſoluitur, ideſt e vitæ domicilio migrandũ eſt omnibus. hi moleſtè ferunt, qui in loca alia tetra, horrida, formidoloſa veniendum vident, non hi, qui e chriſtiana diſciplina fide adducti, ſpe ſuſtẽtati, charitate muniti, ad ſuperas oras, vnde fluxerunt, multa cum mercede ſibi vident repedandũ. Ecce Ioãnis Rotarii ſpiritus, iuſtiſſimus (dum in terris fuit) Dei cultor e florida vita tanquam e conuiuio dimiſſus in domũ propriam iam reuenit, vel reuenire ſperat, vbi labes, quas cõtagione terreni corporis attraxerat, purgatoriis ignibus vſſerit. Ille tanta ſpe lætus, ſimúlq; proſpiciens dies noſtros noctis pleniſſimos, eadem, ut opinor, amicis nobis exoptat, miſſionémq; huius vitæ, veluti militię cuiuſdam grauioris fieri cunctis velleţ: quem vos ab atrocibus illis pœnis, ſi quas ſuſtinet, orationibus, ieiuniis, elemoſinis, omniq; alio ſancto opere conuenit ſubleuare.

DE BELLO IN TVRCAS GERENDO.

ORATIO OCTAVA.

MVLTOS Ego sæpius mortales animaduerto viri Christiani nobile aliquod ingenij & doctrinæ suæ monumentũ edere cupientes, ea sibi ad dicendum sumere argumenta, quę eximiæ sunt subtilitatis, & pro quib9 aduersus plures diuersa sentientes contendere oportet. Tales ferè sunt hi, qui de naturalibus disputant causis, cœlestiáq; cuncta & terrestria curiosius inquirunt: quos ego sanè viros & si non contemno, attamen quòd nulla plerunq; de illorũ sermonibus vtilitas auditoribus cõparatur, improbandi aliquando videntur, quòd necessarijs ptermissis extranea quædam magis longè ab vsu posita, & vix bene nota consectantur. His etiam deteriores video nõnullos, qui ad fabulas, & iocos conuersi in his ludunt, a poëtis nihil ferè differentes, quorũ vnum est opus vulgarium hominum aures festiuo sermone detinere. Ego si nunc de vnius, aut alterius ciuitatis vtilitate verba facturus processi, laudabile putarem institutũ orationis meæ, & magis adhuc laudabile, si de vnius prouinciæ salute afferre aliquid possem. Verũtamen in præsentia nihil horũ agito animo, sed aliud quiddã longè (ni fallor) præstãtius: nam de totius Christiani populi tam latè patẽtis, per tot terrarum spatia diffusi, de totius inq; gentis commodis dicturus sum: tantum est id, quod profiteor. Nulla vnq; res oratoris ingenio tractata, aut magnitudine par, aut vtilitate prior inuenietur. Quænam igitur hęc? Scitis Turcas dissidentes a nobis religione, multò etiam magis armis, atq; hostilibus odijs dissidere, vrgere assiduè terra, atq; mari, intercepisse olim oppida, castella, regna, prouincias, nunc etiã in interioribus fidelium nationibus versari, & tantũ in faucibus non hærere. De bello igitur aduersus Turcas gerendo

dicturus sum, quo vno Europæ salus, populorum libertas, Christiani nominis dignitas continetur. Non arbitror iã ob scurum esse cur instituam illud potissimũ oratione suadere: oratio enim cupiditatem incendere potest, & incensa cupidi tas efficere, non modò id ut velitis, sed ne frustra etiã velitis. Sed nõ est meum id inuentum: dixere alii ijsdem de rebus, quibus arbitror haud ingratum futurũ plures in hæc eadem ire, si forsitã effici potest assiduitate suadendi, vt bellum tam sanctũ, támque salutare suscipiatur, cuius rei gratia orationes illi suas elaborarunt. Pulcherrimũ sanè horum virorũ propositũ fuit, qui etiam exemplo suo prodesse potuerunt: nam quũ hoc sibi sumerent, oportere, quod vnusquisque posset, id aduersus cõmunem hostẽ proferre, id principes ipsi munus expleuerunt: nam quũ graues & vehementes essent in dicendo, disciplinísque instruxissent se pluribus, hanc oris, & pectoris sui dotem in mediũ detulerunt, grauitérque in Turcas cohortationibus, monitísque suis pugnauerunt: hoc videntes cæteri, quorũ omnis vis est in ferro, armis, equis, & vexillis, impelli poterant, vt illa, quibus pstabant, aduersus eundem hostem pro cõmuni salute exercerent. Horum ego virorũ egregiam volũtatem iuuandi rem Christianam facultate orationis, nõ suscipio modò, verum etiam imitari conabor: siquidem ijsdẽ artibus me tradidi, quibus illi florebant: nec ideo quisque debet animũ dicendis minus intendere, quia illorum scripta vel iam legerit, vel lectũ sperat: argumentũ quippe idem, sed tractatio varia & diuersa erit. Tanta autẽ est amplitudo materię, vt si in infinitorũ hominũ corona certatim vnusquisque de ea differat, postremus tamen adhuc habiturus sit, vnde noua multa ab aliis prætereita cõmemorare possit. Quòd si natura ita cõparatũ esset, vt quòquisque posterius, eò deterius diceret, nullo iam discrimine iudicaretur quis melius & rectius verba fecisset: ipsum enim tempus de oratore optimè iudicaret, & postquam iam plures superioris sęculi viri dixissent, iusta esset causa discedẽdi, & nolle amplius au

dire. Sin aūt posteriores ętate inuenti sunt sępius subtilitate & elegantia dicendi priores, apparet non iuxta locum & ordinem dicentium hæc esse spectanda, sed ingenium, literas, eruditionem valere. Vt enim vnusquisq; instructus est naturæ, & doctrinæ facultatibus ad dicendum, ita dicit: & nullum istud argumētum est anteriori, se perfecisse opus, quia cœperit, sicut nec posteriori, quia susceperit. Fallitur si quispiam putet idem esse in sermone, quod in cursu: nam in cursu is vincit, qui cæteros pręuenit, & ad metam primus peruenit. At in sermone illi palma defertur, qui aptius, & sapientius dixit, tametsi postremus ad ipsum peruenerit sermonē. Itaq; quum incertum sit qualis futura sit oratio, decet vos omnibus æquos auditores præbere, ut si quæpiam rectè dixerint, illis vtamini: sin defecerint, nec ostendere valeant præclarum aliquod, ideò nō suaserint, neminem illi amplius culpare possint, præterquam se ipsos: vos autem nihil durum, aut atrox perpessi fueritis, si multorum etiam longam orationem audiueritis stulta & vana dicentium, quanquā quid vanè, quid superfluò diceretur hac in re, tali tempore? Tantum autem abest loquendum non esse, ut iure posset quilibet de me petere, ut maiore ui, & copia orationis bellum hoc Turcicum suadeam, quàm superiores fecerint: quoniam maior etiam vrget nunc necessitas huius hortationis, postquam res Christiani nominis in extremum penè discrimen deducta est. Quis enim non videt quam latè ferantur Turcarū arma? qd minentur? quot nuper diripuerint regiones? quantū ceruicibus nostris immineant? Ita ut nihil magis meditari oporteat, quā quomodo illorū impetū propulsare possimus. Scilicet omnipotēs, & immortalis Deus hominū inter se latè patere statuit officia: itaq; vbi aliquid moneri vult, nō ipse id agit de loco superiore, aut legatione vtitur angelorū, sed sacro afflatu præstantiū virorū mentes excitat, ut ad populū loquātur: quod negociū vbi illi capessunt, tunc verè existimandū est deum de humani pectoris templo, qd' insedit, monita

ſtla ſalutis fundere. Fieri autem nō poteſt, ut in negotio quopiam magno, atq; pręclaro vnus ad omnia ſufficiat, ſed alius adiuuat pecunia, alius conſilio, alius autoritate, alius corporis viribus, quemadmodum viſum eſt Deo, qui hęc diuidit: eſt etiam quem ille ſermonibus tantum præficit, & nūc me forſitan voluit ad hoc bellum mentes veſtras inflammare. Quamobrem loquendū mihi omnino eſſe video: ſiue enim vtile eſt vos id bellum gerere, ad quod ſuadendū procedo, nec vtile modo, verum etiam pium, do hoc cōmuni ſaluti, do temporibus, do religioni: ſin etiam haſce agere partes Deus me voluit, do hoc illi, quoniam ille mihi prius hoc dedit, & pareo, nec deſeram ſtationem, in qua maior homine poteſtas me collocauit. Neq; ego nūc aggrediar quicq; de rationibus belli gerendi dicere, quoniam id ad rei militaris peritos pertinet, qui ne ipſi quidem ſua expedire poſſunt conſilia, niſi in rem præſentem venerint, circunſpicientes & quæ amica nobis, & quę hoſtibus aduerſa. Simul & illud cogito, quod ſi oſtenderem nunc, quomodo bellum ſit gerendum, veluti qua parte aggrediendus ſit hoſtis, quanto copiarum numero opus ſit, vnde commeatus quærendus, hæc, & talia ſi expedirem, fieri poſſet, ut ſententia mea eo tempore acciperetur, quo non prodeſſet, uel etiam obeſſet: rerum enim ſtatus aſſidue voluuntur, quibus conſilia aptari debent. Ergo expectabimus illum diem, quo vnanimi conſenſu manus inijcere voluerimus bello: plures enim tunc oſtēdent ſententiam ſuam, nec cōſilio, ut opinor, labemur, quod ſub manu, ut aiunt, & in ipſa arena naſcetur. Nunc autem oſtendendum mihi (quod rei ipſius caput eſt) bellum omnino nobis aduerſus Turcas ſuſcipiendum eſſe, atq; adeo acriter gerendum cum ſpe optima uincendi: is enim huius actionis finis eſt, ad quem cætera referre oportet. Si quis autem oratione ſua ſuſpenſos animos, uel leuiter ꝓpenſos impellere poteſt, ut uehementer ardentérq; affectent rem gerere, is multum cōtulerit: nam ſępe labores, pericula, ſumptus, formidines

a nouis

a nouis consiliis deterrent: at incitatis studio semel hominibus non graue aliquod, aut durum, aut metuendũ videtur: sumptũ habent pro lucro, laborem pro requie, dolorem pro voluptate, vita denicꝗ deterior illis morte videtur, nisi rem perficiant. Itaꝗ non est omnino deridenda hæc opera, quæ irritare animos, & paratiores efficere potest, qua uti iam cogito, de meis cogitationibus ita sumens exordiũ. Ego enim siue fidei ardore, siue astri cuiusdam impulsu, siue fortasse mentis vitio quodam cogitationibus illic excurro, ut expu-tem, & examinem sæpissime mecum quàm pręclarę esset, si Christiani pacatis domi reb⁹, armis collatis aduersus Turcas, Saracenósꝗ exirẽt, vnanimésꝗ & serua liberare, & erepta recuperare vellent. Primum nos illi quotidianis pulsant iniuriis, & continentibus bellis lacessunt, neꝗ coërceri possunt, quorum pręlia & contentiones inuitatos refugere turpissimum duco. Vtinam occurrere, arrogantiámꝗ, & spiritus barbaricarum mentium ferro contundere statuissemus: non contractioribus nunc terminis vteremur, neꝗ nuper in Pannonię finibus castellum munitissimũ, nec diuerso in orbe pulcherrimam Insulam interceptam quereremur. Deinde quis tui Gręcia non misereatur? quæ armis iandiu oppressa seruilibus alũnos tuos fidei lumine fulgentes spe atꝗ animo cœli domicilio affixos pedib⁹ infidelium prosternis: neꝗ tamen vectigal pendendo, aut deiectè parendo contumelias & iniurias redimis, quib⁹ impii Maumethani nostri generis homines insequũtur: ipsorum ceruicibus, humeris, lacertis vehunt, arant, fodiunt, deiectissima queꝗ ministeria exercent, si qui minus dicto audientes sunt, si qui indignitatem rerũ perosi dolorem vultu non satis occultant, aut palo transfiguntur, aut cute nudantur, aut in rotam insuuntur, aut alio deniꝗ edito sęuitię exemplo exanimantur: quin etiã beluæ illæ in Venerem pronæ intemperantiam libidinum in alicuius pulchritudinis puberes explere dicuntur: quos vbi præsenti stupro coinquinauerint, superbissimorũ more

dominorum exultant contumelia, quum castissimos religionis nostræ mores non minus oderint, quàm contemnant. Sed nolo in istis diutius immorari ob pudorem: nam huiusmodi contumelias, quæ ad mulierũ pertinent corpora, & puerorum, non conuenit nimis verbis nudare, eò autem minus a viris ferendas, quò magis illarũ pudet sermonem inferre, & vix nominari honestè possunt. At illud longè intolerabilius, & magis exitiale, quòd paruulos de parentum sinu abstractos Christo misso Maumethanæ legis superstitione imbuunt, quos in spem deinceps militiæ alant, atque erudiant. Hic qui patrum luctus? quæ miserarum matrum comploratio? quãtus affinium mœror? ciuium gemitus? abduci in perpetuũ dulcissima pignora longè ab oculis, ab domo, a patria, ac ne in religione quidem parentum permanere: non iam carnem, & sanguinem in seruitutẽ trahi, sed animas ipsas, quas sacro baptismatis fonte perluerant cœlo desponsas, in baratrum præcipitari, dęmonibus immolari. Cũcti expirare e uestigio gnatos, mori, externa aliqua ui confici exoptant, antequam infidelium manibus tollantur, scissisque crinibus mulieres pectus pugnis tundẽtes fœcunditatem vteri execrantur. Itaque quũ in mentem venit tot regiones, tot vrbes, tot oppida, tot ecclesias, tot virorum capita mulierũmque tam grauiter Turcarũ imperio premi, ac diripi, interrogo me num qui supersumus Christiani in reliquis Europæ partibus eadem seruitutis cõditione capti, qua illi, an verò liberi arma ad arbitrium nostrũ teneamus? Mihi quidem seruitus videtur, si timore exterriti aduersus fœdissimos hostes membra Christi & sanguinem depascentes infestis signis ire detrectamus. Quòd si vniuersi Turcarum potentiam haud extimescimus, ut pote quos distracti sæpissime nominis nostri reges domesticis copijs & parua manu repulerunt: num segnities tardabit, quę longè abfuit, & abest ab occidẽtalibus populis? nam si ipsos bene noui, hi ferrum libenter retractant, & vitam sub diuo trepidisque in rebus assiduè ducunt, & belligerandi demum

studio

ſtudio acerrimè tenentur. Quomodo igitur qui leuioribus de cauſis acriter ferro decertamus, Chriſto tam fędè in eius membris affecto ceſſamus? quid patimur Turcas hæc agere, quorum gratia tum hoſtibus, tum amicis mali Chriſtiani videmur? Si vnum vel alterum hominem conſpicati iniuria ab inimicis oppreſſum cõmouemur humanitatis iure, & contumeliam detrahendam cenſemus: quæ ratio vnam prouinciarum noſtrarum nemini dignitate cedentem negligere, nec nec opitulari aduerſus aſſiduas inſaniſſimaſque contumelias? inimicitias inter nos exortas diſtuliſſe, inteſtina bella paulisper timuiſſe, in facultate noſtra ſitum, ideſt voluntate hominum moderatorum, quin hęc libere dimittere, ſtudium atque iracundiã ſuam Chriſto & eccleſię temporibus condonaſſe, pulcherrimum. Amentes profectò, ſi credimus poſſe nos amiſſa poſſidere inter diſcordias noſtras, per quas poſſeſſa amiſimus. Si belligerãdum eſt, id cum hoſtibus fiat potius, & ſociis pax reddatur: nunc bis peccamus, dum & ſociale bellum gerimus, & hoſtile relinquimus. At in negocio gerẽdo ſplendoris, & cõmodi nihil, imo nulla vberior occaſio virtutis proferendæ, laudis amplificandæ, diuinæ gratię promerendę: nam ſi honeſtas ſpectatur, quid honeſtius, quã decora illa animarũ cœlo nata, plebem regiam, ſacerdotalem fidei ſociam, crucis commilitonem, ab iniuriis barbarorum prohibere? contumeliis eximere? ſeruitio nudare? & tandem ſibimetipſi reddere? At quæritur gloria: quid glorioſius quàm efficere cõpreſſis domitiſque hoſtilibus nationibus, ut Chriſti religio in humanę libertatis luce poſita gratior nobis, exteris reuerentior aſſurgat, ad quã nõ ſanctitate tantũ, ſed etiã ſui dignitate oẽs rapiantur? quæ enim literæ non celebrent tam pręclarè geſta? quę vnquam poſteritas de tantis geſtis conticeſcet? hęc autẽ ignorauerit nemo, quin Dei nobis concilient amorem, ut pote quæ pro ipſius cauſa, & nomine ſuſcipiantur. Miror etiam ſi non intelligimus, quòd libertatem Græciæ prodentes noſtram ſimul prodimus tali aditu aduerſus loca

noſtra

nostra patefacto: nemo enim dormiat vicino serpente securus, nam mordere potest, & forsitan mordebit. Itaq; siue sint qui velint sua domi ociose possidere, siue cupiat aliqui noua quædam manu quærere, agendum vtrisq;, ut firmus illinc exercitus transmittatur. Est etiā aliqd, quod præcipuū huic terrarū parti debeamus: nanq; omnis humanitatis cultus, leges, iura, fandi ratio, artium grauiorum scientia, sacrarum literarum interpretatio e Græciæ fontibus deriuarunt. Magnis quōdam hæc prouincia gestis floruit, magnis finitimos opibus antecessit, magnis domi forisq; partis titulis abundauit, ingeniorum feracitate quibuscunq; terris anteferenda: huius gentis inuentis, eruditione, literis aucti vehementer & adiuti sumus. Talibus pro meritis, próq; gloriæ vetustate, quam etiam in prouinciis reuereri decet, seruile iugū afflictæ excutere Græciæ, & iniurias per tot annos toleratas vlcisci debemus. Quòd si omne antiquitatis decus restituere non possumus, at reliquam vmbram, residuúmq; gentis nomen ab inimicissimis hostibus proteri cōculcariq; ne patiamur. Habeat salutem ab his Græcia, quos artibus suis ornauit, ut gratos, memorésq; beneficiorum intelligat, & maiora acceptis refudisse agnoscat. Et fortasse vbi sui iuris effecta fuerit, quemadmodum agri intermisso cultu vberiore dein fruge nitent, quasi gratiam referant quietis, sic literæ, quæ illic tot sæcula quierunt, tunc commotæ vberius lætiúsq; resurgent, & fortasse extulerint aliquid veterum studiis ęquiparandum. Et quoniam vno ex sermonis capite, & (ut ita dicam) fonte plurimi cogitationum riuuli deriuari solent, nósq; longius progredi statuentes alia aliis libenter inteximus, quę eiusdem generis esse videantur. Quis etiam bonorum fidelium Hierosolymam, omnémq; antiquę repromissionis terrā in Christianorū imperium recidere non concupiscat? Hoc loco patiamini quęso me paulò fusius & vberius prouinciā Iudęā suis laudibus efferre: non dicam terrā illam saluberrimis irriguā lauacris, tam vberē,

& feracē

& feracem optimorum sanè fructuum fuisse, ut lacte, & melle fluxisse tota dicatur: non cœli temperiem, rarū imbrium casum, hyemen hyeme carentem prædicabo: ne illud quidem dicam protulisse primā & ostendisse insignes balsami lucos, & palmarum nobilitate cunctis regionibus antestare. Facessant ista procul a laudatione nostra, laudauerint hæc potius Hebræi, quibus talia quædam magna vidētur. Nos terram illam eximiam sedem & præclarum domicilium sanctitatis fuisse aperiemus, nos ingentia illis locis mysteria salutis patrata referemus: qua in re dabitis veniam, si sermonem prouexerimus longius, quàm opinio nostra ferebat: tractabuntur enim nunc dicendo communes affectus, vt in illis, quantum fieri potest, religio incendatur. Quamobrem adestote quæso, & aures mentésque vestras erigite, vt aliquando de maximis rebus dicere incipientem audiatis. Arbitror ego, sicut Solem video inter reliqua sidera præstare, & penè solū in cœlo collucere, ita Iudæam, quam Siriæ partem nonnulli autumant, inter terras omnes vnam eminere, illíque a cæteris regnis & prouinciis plurimum deferri oportere. Nec verò fideli ac christiano viro aliter videri necesse est: nam in hac sola orbis sede vera Dei cognitio enituit. Inuocatū est illo loco nomē domini a mortalibus optima pietate, & religione, quū reliquas regiones, cæteros anfractus, tractúsque terrarum super stitio vana inundasset: hic manifestissimè ostendit se hominibus Deus, nec semel, aut iterum, sed sæpius diuinæ voces humanis se auribus applicarūt. Testantur veterū hebræorum gesta. Principio Abraham, Isaac, Iacob, qui fuerunt caput & origo hebrææ gētis alloquebatur sæpius dominus, imo illis familiariter ad omnia vtebatur: inter cętera ingētes illis pollicitationes factæ, ut de eorū scilicet semine Christus nasceretur, útque in eo salus, vita, redemptio omnium gētium esset futura: nec dictum modo, sed idem quoque varijs gestorum significationibus præmōstratum. Hi sanctissimi viri tres cum essent, cōtinua successione terram hanc, quæ tunc Cananęorum

erat,

erat, postmodum Iudæa fuit, tenuerunt, donec vltimus eorum Iacob premente fame in Ægyptū, quæ affluere rerū copia dicebatur, descēdit, descendit autē cum duodecim liberis, de quorum sanguine totidem numero tribus emanauerunt: quæ quū deinceps in multitudinē immensam excreuissent, teterrimáque ab Ægyptiis seruitute premerentur, diuino illinc iussu profugerunt, & in solitudines immēsas Moyse Duce penetrarunt: quid deinceps egerint, quibus rationibus vitā tolerarint, quæ pertulerint aduersa, quæ secunda, quot pugnauerint prelia, quibúsque cum gentibus, ad singula fere diuinis admoniti oraculis, longum esset enarrare: sed qui scire cupierit, replicet studiosa manu paginas veteris Teftamēti, & inueniet quanti sit facienda illa terrarum portio, in quam populū suum deducendū ostendebat deus, atque adeo multis antea patratis miraculis deduxit: vbi deinceps, tanquā municeps illius esset terræ, sæpius, & infinitis locis, & innumeris corā viris, se ipsum ostendit, sentētiámque suam familiariter indicauit. Eadē hęc tellus acerrimos genuit bellorum ductores, qui parua sępe & inopi manu potentissimos hostium exercitus florentissimósque vicerūt: Reges pariter sustulit æquissimos sapientissimósque, quorum gestis hebræorū vires frigidæ antea, ac angustę mirabili incremento adiutæ circū quaque se dilatarunt, & in finitimas gentes, regionésque vehemēter efferbuerunt. nec eò dico, quin multarum vrbiū latiores fuerint imperij fines, verū cæteris nationibus persuasum erat a se ipsis valuisse: humana illæ facultate vires suas metiebant, & nunc Imperatorum prudentia, nunc robore iuuentutis, nunc bellantiū multitudine magna adeptos gloriabantur. At hebræi viri magnis diuinū nomē tollentes clamoribus in bella procedebant, nullisque magis armis, quā orationibus humillime fusis cōmendati ferociter irruebant, hostéque superbū cędebāt. Quid duris obsidionū tēporibus vbi magna hominū ui ac multitudine hebræi cingerentur? magna illa erant præsidia, turres, muri, tormēta, vallū, & alia propugnacula humana manu fabrefacta, sed

maximũ oĩum propugnaculũ erat ipse Deus, qui humanas manus fabricarat, tantorũq; operũ ministeria illis mãdarat, hæc vnica erat fiducia reꝝ, hoc salutis columẽ præcipuè amplexabãtur. Sperabant tali circum se tegente munimine tutos & inexpugnabiles fore: sperabant, nec fallebantur: nam irrito incæpto, acceptis etiã detrimẽtis bellicum obsidionis opus hostes soluere cogebantur. non proderat ptinax oppugnatio, quin vulneribus, & cædibus defessi pedẽ referrent, req; infecta discederent. Iam mihi agros, flumina, colles, oppida ostẽdi vellem, in qbus illa pugnata sunt prælia auspice Deo, quo magis ac magis locoꝝ intuitu quæ iã scripturaꝝ relatione cognita sunt mens ipsa religionis studio clarius arderet. At prophetas tẽpestate eadẽ maximos, & sãctissimos ibidẽ extitisse quis nescit? qui nõ solũ vaticinio clari, sed miraculoꝝ potestate insignes fuerunt, quũ pro sanctitate vitę voluntatis arbitrio reꝝ naturã flecterẽt atq; torquerent, quoꝝ, natale solum, cæteraq; loca, in qbus vixerunt atq; efflorverũt, nõ tam curioso, quã religiosq oberrare iuuaret aspectu. Multi alii præterea, e quoꝝ candore vitæ, mentisq; pietate cœlestis parens, qui tales illos effecerat & retinuerat, voluptatẽ summã capiebat. Ergo terrã illã fœcundissimã parentẽ, pstantissimãq; alũnã tot sanctoꝝ cœlestiũq; viroꝝ negligemus? nulla dignã reuerẽtia ducemus? Athenas magis mirabimur domiciliũ quondã inanis sapientiæ? Lacedæmona humanas leges, nõ diuinas tenentẽ? vel Romã magnã quidẽ vrbẽ virtute multa quodã tempore subnixã, sed tamẽ veræ pietatis ignarã, & pessimo idoloꝝ cultui mancipatã? Sed qd illa narro? Ecce tibi omnipotens & indicibile verbũ ab arce summi patris demissum formam inducitur mortalẽ, nasci in Iudæa voluit, nec nasci tantũ satis fuit, sed & eodẽ vitã traducere, deinde occidere, atq; salutis mysteria, ad quæ venerat, ibidem non mutato solo voluit excitare. O frugifera Bethleem, cuius magnæ fruges fuit ipse Deus, quẽ humanis mẽbris inclusum tum primũ in te nascentẽ suscipis, & reliquis

mortalibus ostendis. O antrũ illud splendidius gẽmis, preciosius marmoreis tectis, qđ suppliciter prostrati adorare oẽs populi solemus: quis enim vnq̃ se coniecit in illud, ut nõ senserit gelidũ pectus nouo fidei ardore concaluisse? plerique dum illo manerent, in augustiorẽ euasisse formã se ipsos testati sunt, dulcedinéq; ingenti spiritali pfusos mira quædã in illo mentis excessu despexisse memorarunt. Quid plura? hãc ego sedẽ secundũ cœlestis regni habitacula principẽ esse iudico, in qua tot ingẽtia aduersus fœdus naturale edita, virginitatẽ enim fæcundatã puerperiũ subiisse, & Deũ humano captu inuentum non ne mirandũ? hoc nec natura ferre, nec vsus experiri, nec ratio scrutari potest. Nec verò in tanto facto ociosa cessauit Angelorũ multitudo, quorũ vnus pastores supra greges vigiliam noctu tenẽtes excitauit, ut relicto eorum pecore ad mansuetissimũ illum Dei agnũ in præsepe iacentẽ cõtenderint, salutémq; in eo hominibus tunc natam gratulabundi venerarentur: id qđ illi non contẽnentes monita fecerunt, reliqui verò Angelorũ chori feruntur dulciter domino suo occẽtasse. Sed vel illa miraculi magna pars fuit, ignea forma cunctis illustrior pulchriórq; sideribus ęthereũ secans iter, cuius præuio ducatu commoti Magi longinquis de partibus eodẽ se contulerunt, & Regẽ regum, qui trabea carnis assumpta de virginali tunc fuerat aula progressus, solo incubantes muneribus oblatis coluerunt. Censebant illo fulgido astro, tanq̃ edicto, in supremo orbis cardine posito ad iam nati Dei venerationẽ se vocatos. Eodẽ oppidulo Christus hominũ tum primũ causa suum fudit sanguinẽ, & pro se fundi voluit, humanũ. Circuncisus enim ipse, & ipsius causa multa infantiũ millia iussu regio necata, haud dubia significatione quãtã postmodũ allatura foret martyriorũ segetẽ adulta iam fides, quum in ipso semine tantã indolẽ ostendisset. Quorũ mysteriorũ grãdium ac miraculorũ sparsa per illas terras plurimi cernentes vestigia Betheleemico rure certam stabiléq; sedem fixerunt, putantes se minus pietatis, minus

religionis habituros, si ab hac villula auersi aliò oculos detinuissent. Quis Nazareth Saluatoris post ægyptiacũ reditũ nutriculã posset pleno ore satis cõmendare? vbi etiã Maria Angelum legatũ, diuinum decretũ, sui profectũ honoris audiuit, simúlq; de spiritu sancto in vtero habere cæpit. Hic Christus sacrilegas ciuiũ suorũ manus effugere volens, quẽ de collis supercilio præcipitẽ dare parabant, scopulosa sub rupe latuit: at quomodo latuit? Sinus illic est quidã, quẽ humani corporis receptaculum tantũmodo possis dicere, adeo forma conuenit: intra hunc Iesus saxo aufugiente, sibiq; cõcedente receptus est, quũ se antea illorum oculis inspectabilẽ reddidisset: quòd si, ut dicunt, figura auersi corporis illic impressa cernitur, vestimentíq; ora, rugæq; comparent, subterfugisse etiam natura saxi videtur, quod molle ac cereum calcanti se domino, prementíq; præstaret. Multa præterea aliis locis visenda, quæ ruinæ nondum obliterauerunt. Bethania, præter duo Mariæ & Marthæ habitacula, Lazari etiam nobis exhibet mausolæũ, e quo ad dominicam vocem mortuum quatriduanũ iam fetentem prodiisse statim credimus, manus pedesq; institis obligatũ, tanq; planè inclamatus ille non mortem, sed somnum exuisset: huc mortales multi properant, ut sepulchralem illum lapidem rei gestæ superstitẽ, quo de audierunt, vel manu contingant. Nec minor concursus fit multitudinis in Sichem ad Iacob puteũ Samaritanæ & Messiæ collocutione nobilitatum. Nemo ad canam Galilęæ accessit vnquam, qui non sibi locum cõmonstrari petat, quo lymphę de propria origine immigrare coactę, & generosa iussę vina fundere, nõ solum illos tunc conuiuas, sed & infinitam hominũ manum multis post sęculis exhilararunt, quibus gratum admodũ fuit, quòd ornare insigni miraculo nuptias voluerit nuptiarũ autor Deus, tametsi humanam illi formã nuptię neutiq; addidisset. Sed & illud fortasse pleriq; ducant non minus esse admirabile, quòd is, qui talia facere solo nutu poterat, egere voluerit, & vitam pauperis viuere.

Ingredien-

Ingredientibus Nayn in ipsis portis occurrit imago filij viduæ matris in ipsa mœsta funeris elatione ab inferis diuina manu retracti. Mons Tabor, in quo Iesus fulgidior effectus humanã faciem antecessit: Mõs Oliueti, in quo nube lucida subleuatus astra conscendit, cuius nõ affectum viatoris trahunt ad supernorꝫ cõtemplationem gaudiorꝫ? Et quis vnq̃ stetit in Iordanis ripis, ut hymnum nõ diceret defluentibus aquis, quę conditoris sui membris circunfusę meruerunt diuinæ fieri gratiæ sacramentũ? Fœlix nempe vnda, quæ dum beatũ tingeret corpus, non mundabat, sed mundior ipsa efficiebatur, admirante penè fluuio &, ut ita dixerim, gaudente aduenisse sibi lauacri gratia fontem suum, quin potius eum, a quo omnes fontes manarent, & flumina. Venio nunc ad Hierosolymã caput gentis, metropolim prouinciæ, arcem sanctitatis, lumẽ nationũ, domicilio regum, magnificentissimiq; tẽpli structura quondã ornatã, nunc passione Christi, venerabilissimóq; eius sepulchro decoratã. Tantò enim hæc vrbs altior omni Iudęa, quantò illa cęteras prouincias dignitate antecellit. quanta illius amplitudo, quãtæ opes, quanta gloria, nullus in literis mediocriter versatus ignorat: sancta sub veteri lege ciuitas, sanctior sub noua. Multis sacrificiis, quæ ad peccata tollẽda fuerant instituta, vnum successit, cui palmam omniũ damus, postq̃ se Christus verissimam & purissimam pro omnibus hostiam constituit immolari, crucifigiúmq; adipisci magis consilium fuit, quã non inexpiabilem labem humanæ naturæ ante inditam per se non deleri. Offeruntur agminatim Hierosolymę videnda multa: nemo cõmouere se potest, quin in aliquod mysteriũ vestigia figat. Confluũt cunctis ex orbis partibus mortales, qui dum vias ire pergũt, per quas dominicę passionis triumphus ductus, recordatione diuinæ pietatis tam abundanter prolatæ, hac illac perfluunt lachrymæ, gemitus erumpunt, singula, quæ viderint, venerabundi deosculantur: multũ enim cõmouent monumẽta rerum, & locorum, quę acerrimo oculorꝫ sensu

animis cõmendantur. Eſt omnino lugubris reminiſcentiæ paſſio illa immaniſſima & acerbiſſima, tũ quis illã, & quorũ cauſa, & a qbus tulerit. Occurũt dextra, læuáq; flebilia multa, pietate animi noſtri digna. Hic Ieſus baiulans ſibi ſupplicium occurſum mœſtæ parentis nõ tulit, collapſúsq; eſt: vbi illo ventum eſt, ſtetit, verbũ illud protulit: hoc lapide diademate ſpineo cingendus reſedit: hæc columna ſanguineo conſperſa rore dñum tenuit alligatũ, donec flagris cæditur: ibi veſtimenta detracta, iſtic diuiſa ſunt. Deniq; cum ad Caluariæ verticẽ venitur, & ante oculos eſt tetrum foramen, quo crux ſuffixa fuit, cogitationibus tunc vehementius obſtrepimus internis, & ita intra nos quodãmodo exclamamus, hic hic mundi preciũ pependit, hic ardentiſſimæ charitatis vexillum erectũ, fides, ſalus, doctrina de huius collis apice, vel de patibulo potius, ideſt de excelſo pœnarũ ſolio cunctis gentibus coruſcauit. At illa crux, illa vulnera, ille effuſus cruor peccata ſunt noſtra, pro quibus innocens hæc, æternáq; perſona ſic afflicta fuit, ille ut impietatis reos de ſuppliciis erueret inferorũ, & cœleſti patriæ conciliaret, occidit tam fœdè. Nos, nos ergo acerrimos illos percuſſores in dei filium ſubmiſimus: impietas illum noſtra miſerandum in morem peremit: aſperitas criminum noſtrorũ aſperrima regale hoc caput corona donauit. Has, & huiuſmodi cogitationes occurrere tunc nobis fluentes paſſim in lachrymas oculi proloquuntur. Sed iam ad ſepulchrum tranſeundum eſt, de quo proloqui nemo digna poteſt. Corpus Chriſti exangue variis fatigatum ſuppliciis diuinitate adhuc munitum per horas quadraginta in illo conquieuit, ibidémq; reſurrectionis diuinæ ingens miraculum formatum eſt: qui locus tantæ dignitatis fuit, vt angelos illic excubantes ſæpius mortalium oculis videndos offerret. Num qui ingrediuntur ſe mortui cõditorium videre, an potius tangere arbitrantur terram omni diuinæ gratiæ ſuauitate manantem? in qua ſit puræ menti curarum requies, laxamentúmq; laborum. Dicet aliquis. quid

mihi

mihi Hierosolymam laudas? quam hoc nomine, quòd prophetas antea multos, postea filium dei necarit, exterminarunt Romanæ vires, & penitus exciderunt. hæc qui dixerit, hominum arguet culpam, non locorum: populus impius ac nocens dissimilibus sui hominibus sacrilegas sæpius intulerat manus, ipsum dominum, cuius vita sanctitas, natura benignitas, doctrina charitas fuit, nefando supplicio necauerunt. Crescebat furor, audacia, iam flagitiis pœnam iustitia superni numinis inferre meditabatur. Sed quæ pœna? nisi vt tecta nequitiæ, habitaculáque disturbarentur, quin etiam ingratissimũ populum patria excussum, nudum, atque inopem per terrarum sola profugum vindicis Dei ira adegit. Quomodo ergo hierosolymæ pulchritudinẽ querimur deletam? non enim arbitror studiosum fuisse Deum cementorum, ac tignorum, & eorum lapidum, quæ vrbem compegerant, sed sanctitatem adamasse, quæ in his locis effloruit, cuius odore afflari tota regio, & recreari videtur. Quid? qđ hierosolyma patriæ cœlestis imaginem trahebat. Vt enim hi, qui lautius exædificare cupiunt, exemplum sibi formant ligneum, aut luteum, quod deinde ab oculis remouent, vbi opus verum constiterit: sic postquã supera illa hierosolyma fidelium cunctorum mater constitit, qua nihil lautius, beatius ue, hæc exigua terrestris e conspectu gentium sublata: erat enim positu, & structura sua veluti formula quædam rudis supernæ ciuitatis. Illud diuini operis, quod aliquando pandendum erat, vile figmentum fuit: sed vt vrbs ea ceciderit, non tamen simul dignitas illorum locorum cecidit, nec monumenta sanctitatis plurima, quæ illic adhuc apparent, & tenentur. At etiam templum illud ornatissimũ diruptum, quo vno diuinus cultus tenebatur: audio, verũ ea de causa, quam nuper memoraui, nam veræ hostiæ, veræ adorationi, quæ in spiritu spiritali deo adhibetur, adũbrata, & lutea illa (vt sic dixerim) sacrificia loco coarctata cesserunt. Quid? putamus parietibus, & tegulis quamuis marmoreis, auróque

fulgentibus Deum magnopere delectari? nō abiicit ille quidem hæc opera mortalia summa animi pietate suscepta, nō inquam hæc omnino ingrata habet: verū iusticia, fide, pietate, castitate, humilitate, prudentia pectora nostra ornētur: hæc sibi pulcherrima templa ducet, hæc studiosissimè inhabitabit: si qui etiam erunt, qui contumelias illatas sufferant, afflictionibus, suppliciis, cruciatibus tanꝙ affinibus carissimis delectentur, inimicos dilexerint, iuuerint, protexerint, in his suis membris dicetur fidelium caput Christus triumphare. Nuper crucis, & resurrectionis sancta loca laudaui, vel laudare potius volui, neq; in his tamē spem salutis vllam repono: non est enim in fatis cœlorꝝ regnum capi non posse, nisi ab his, qui Caluariā, sepulchrū mq; dominicū tetigerint: non certis diuinā pietatem circunscribimus regionibus, quā nulla ꝓfunditas, nulla continet latitudo: pręsto est vbicunq; terrarꝝ suppliciter exposcatur. Angustis quōdam Iudęæ terminis lex vetus contenta fuit, & tanꝙ in angulo detrusa veritas latebat: & ob hoc fortasse, quòd nondum satis lucida, sed multis simulachris, imaginibúsq; obuoluta tenebatur. At sacrum euangeliū verę vitæ seminarium, vbi resplenduit, de Sion euectū omnes terras obiit, omnia maria transmisit, ut passim innotesceret, qđ vniuersorꝝ causa conditum fuerat, & „ paratū. Salus parta est vbicunq; euangelicæ doctrinę paritū „ fuerit, vbicunq; Christo creditū, & malis viuendi rationibus „ finis factus: vt nulla locorꝝ, sed magna morū diuersitas fideles vera pietate fulgentes a reliquis tenebricosis mortalibus „ segregaret. Tritū est vulgi sermone prouerbiū: Non hiero„ solymā fuisse, sed hierosolymę bene vixisse laudandum est. Gentiles quondā, nunc Saraceni & Arabes vrbem hāc incolunt, vtcūq; fuerit instaurata, quos omnes in vestigiis positos sanctitatis a vera religione procul esse scimus. Itaq; si de me queratur an in sanctis locis summā cōstituam meritorum, spem collocem cœlestis hereditatis potiundæ, negabo: mentiar etiā si affirmauero qualemcunq; mentem ex illis fructū

aut voluptatem percepturū. Sed si mihi mentem integram & castam dederis Christo deuotam, tum spiritu hæc ardentiore erigetur, altiori diuinorum mysterioꝝ cōtemplatione perfruetur. Et fortasse etiam aliunde, sed tñ si nihil repugnet aliud, crebrius, & vehementius in sacris locis diuinę pietatis ardore quatietur: siue oculoꝝ valet aspectus monumēta locoꝝ assiduè cōtrectans, siue qa voluit Deus vberiorib⁹ ,pſe qui prēmiis & honoribus sedē illā, in qua salus ęterna parta est, & cæteris gentibus ministrata: siue (qđ nōnulli opinanť) tellus ipsa exhalet diuinæ virtutis aliquid, quod ex contactu membroꝝ Christi cōcipere atq; imbibere potuit. Sed si hæc altior videtur oratio, quā ut rudibus quorundam sensibus applicari posse videatur, ad hęc, quę leuiora sunt, veniamus. quid ergo? tu fidelem te facis? Christiani nomen profiteris? & mortale Regis tui domicilium cōtemnes? Multi ingenio, virtute, scientia insignes patriæ suæ ornamento, gloriæ, laudiq; & sunt, & fuerunt: & ut aliquid pressius dicam, martyrū loca, in quibus huius lucis auram, vel nascentes acceperunt, vel morientes deseruerūt, cara habemus, & tanq; Christiani triumphi pignora in omni honore retinemus. Ergo ista in hominibus ad decorem locoꝝ valent, qui suum tantum negociū de fide ob supplicia non decedentes gesserunt? Christus splendor, & figura diuinæ substātiæ idest paternæ, qui natus est omnibus, & publicā moriens vitam condidit, Iudęæ suæ amplitudinis nihil conferet? & qđ in famulis gloriosum ducitur, id in domino contemnetur? Christus martyribus, martyres locis ipsis decori fuerunt, in quibus ut Christi hostiæ ceciderunt. Itaq; verius loca illa dicuntur Christo, quā martyribus consecrata: quę si in Italia, Hispaniis, Gallia, vbicūq; posita sunt, mirè coluntur, quid tandem illis fiet locis, in quibus per seipsum versari humana carne obuolutus voluit Deus? & in quibus occubuit? quū idem ipse esset, & sacerdos immolans, & pecus immolandū, & numen illud, seu idolum (ut ita dicam) cui immolabatur. Antea sanctitatis multoꝝ

vestigia illic imprimens Deus, tandem templi sui hāc potissimum sedem delegit, non illius templi manu facti, quod in cineres versum ad sacrificiorum veterū vsum perpetuò decumbet, sed ipsius inquam templi, quod ariete nequitiæ admoto conscissum, fractū, perforatū, triduo refici potuit, & splēdidius quidem multò & ornatius, quā antea institutū fuerat, & erectū. Vos, vos igitur appello colles, vos amnes, lacus, fontes, stagna, maria, vos campi, vos valles, vos heremi etiam, vastitatésque terrarum, quæ regionem quondam patribus hebrçæ gentis diuino ore promissam continetis, quāque ipsi, incolis ferro pulsis, virtute cœlesti præeunte tenuerunt, super soli vestri faciē lux, deliciæque nostrę Iesus infantulus reptauit, quiescens recubuit, orans iacuit, lassus resedit, multarū ille vrbiū fines peragrans ad euāgelizandū sermonem Dei, aridam itineribus suis pedum sanctorum officio emensus est, fluenta etiam vestra ambulauit: vos diuinorum oculorum flagrantia illustrauit: vos cœlestis spiritus aura afflauit: vestra sola sanctarum lachrymarū imbres resperserūt, sacratissimi cruoris torrentes inundauerunt. Hac de causa, quòd sanctus sanctorum viuens hāc miseram & ęrumnosam mortalium vitam, regionem hanc solam diuino habitaculo dignam duxit, non solum loca, quę in vobis plurima corpore suo mundissimè tenuit, atque pressit, vnà cum Apostolico choro, & sanctissima eius genitrice Maria, cuius etiā venerabili tumulo vobis credito congaudetis, sed baccas, fruges, gramina, arbores, virgulta, lucos, fluuios, stagna, torrentes, quicquid denique effertis, gignitis, paritis, effunditis, sancta dicam, sancta putabo, omníque honore, & reuerentia digna iudicabo. En quibus sedibus Christiani caremus, quas terras alienigenarum subiectas imperio feramus. An accolę Saraceni a vera pietate auersi mysteria fidei illis locis signata studiosius nostris inquirent? celerius intelligent? religiosius venerabuntur? ut enim fides, & tibias non quorumlibet, sed eorum duntaxat causa fabrefactas fuisse dicendum est, qui illarum

tractationem perceperint, ut poma de arboribus pendētia, vuęq; ex vitibus demissę, reliqui anni fœtus hominibus tantum a natura concessa videntur, quòd & reliquis animantibus digniores, & eorum gustu, odoratu, aspectu pręcipuè delectantur, vbertatémq;, & varietatem tanti muneris affluentius norunt sic præstantissimo Christianorum generi terræ illæ addictæ videri debent, propterea qđ sanctarum mentium pabula illic magnificentissimè enata soli tractant, atq; decerpunt: nec si efferatæ gentes sine naribus, & sensu regionem illam miro sanctitatis odore fragrantem, & antea, & nunc possideant, iccirco quicquam de iure nostro diminutum: nam & quadrupedes aliquando in areis, & horreis frumenta intercipiunt, num tamen quadrupedū causa frumenta sata, exculta, demessa, recondita dicemus? Itaq; quid cessamus, quos causa vincimus, armis pellere. Vt sit fortuna bellorum anceps, tamen quæcunq; impendere videbuntur discrimina pugnantium nemo subire recusabit. An non subeant, quum optabile sit admodum & fortunatum pro sanctis & in sanctis locis occumbere? vnde statim exangui & contrucidato corpore relicto candidiores animæ in beatissimas patriæ cœlestis sedes tollantur. O pulchrā bellandi materiam, in qua siue vincas, siue victus sis, præmia immortalia manent, atq; diuina. Inuitus loquor de præmiis, quanquam non humanis, ne mercenario milite Christus rem suam genere uideatur, quanquam nunquam merces deerit, quin vberior erit, si nulla spe mercedis pium opus aggrediemur. Ergo ipsa nos pietas, ipsa incendat religio, ipsius Christi amor torqueat, vbi semel ossa medullásq; attigit, quouis igne flagrantior. Quid patimur seruire terram, in qua libertas animarų recepta est? proh dolor, infideles fidei cunabula, prophani ciuitatem sanctam possident. Vno, eodēq; loco viuentis Dei virtus, & potentia, & immortui hominis manes inuocātur, & qua veneratione illis terris Christi, & Marię sepulchra, eadē fœdissimi monstri busta colūtur.

En cur

En cur nostri magnificentissimum quondam, & ditissimum Salomonis templum, qđ procubuerat, refecerint, atq; excitarint: ut scilicet deturbato inde Christi cultu esset locus, in quo Maumethi sacrificaretur, & scelerati hominis memoria cõuentu maximo imploraretur: nam quòd eo Christianorū quenq; adire vetant, concedendum planè videtur, quia metuendum erat, ne infandi sacrorū ritus religiosos spectantiū oculos funestarent. Sūme Deus, qui nos fuimus? qui maiores nostri fuerunt? pudeat morum, & tempor9 eò vehementius, quò magis antiquorū opera, & labores ad religionem spectauerunt: nam dum regiones illas incolerent, vbi Christus per se, aut suos insigniter aliquid ediderat ad fidem augendam atq; excolendam, illi quo pietas multorū incenderetur, veneratióq; mysteriorū increbesceret, eodem loci vestigio delubra pulcherrima atq; ornatissima exędificauerant, monachorūq; cœtus per singulas penè horas diuinas laudes repetentium collocarant, minoribus item in rebus ædiculas exexerant, & singulis locis veluti fidei quædam trophæa imposuerant quæ monumēta collapsa nunc & semiruta lugere priscos dominos, auxilium, opémq; nostrā expectare, vel expetere potius vidētur. Cogitate antrū Betheleemicū, in quo Saluator orbis e virginali vtero progessus, Angelicis copiis circūfusus tum primū mortalium oculis refulsit, quā sedem finitimam esse cœlo, & veluti quodam sanctitatis vertice sidera contingere arbitror: Caluariæ collem, in cuius apice Iesus eximia flagrans charitate pro mundi salute crucem excepit: Oliueti iugum, vbi cum discipulis dominus cōuenire, & frequentes orationes demittere consueuerat, vnde etiam captus fuit, & e cuius summo terras linquēs astris se intulit, venerabilissimū Christi sepulchrum, in qđ vbi demiserint se bene affectæ & compositę mentes, cœlestibus gaudiis refici sibi videntur: Vallē Iosaphat cum multis aliis visendis, tum sanctæ matris Mariæ tumulo decoratam, forum diuini iudicii, quod in ipsius mundi clausula aduersus cunctas gentes

exorietur

exorietur: tot, & tam sacra loca, & mille prętereà alia vndiq; dispersa, quæ perpetuo Christianorũ agmine frequentari, & assiduis psallẽtium sacerdotũ vocibus circunsonare deceret, nunc frigida, deserta, muta, neglecta iacere, atq; adeo ad ea aditum nisi pretio non patere: eò nanq; ignominię deuentũ, quòd singulorũ pietatem vectigalem sibi barbari fecerunt. inspiciundi, & venerandi sit potestas nemini, nisi prętio idoneus reddatur. Multi ex vltimis Gallię, Germanięq; finib9 occiduo sole dimisso, seu votorũ rei, seu deuotionis impulsu, ad dominicũ properant sepulchrũ, qui vbi itinerũ laborem, vel nauigandi difficultatem pertulerunt, vbi prędonũ periculis, tempestatũq; casibus se eripuerunt, quũ illo peruenerint, tum demum imperia atq; exactiones infestissimarũ gentium pferre coguntur. Graue videri debet qđ nobis verissimis Dei filijs Saracenus vanę superstitionis seruus tributa imperare audeat: grauius; quòd in ipso pietatis nostrę susceptu: grauissimum, qđ in ipsis mysteriorũ vestigiis, inter quę se fides erexit, & dilatata effloruit. Quòd nisi barbari largitionem nostrã intercipere, & auaritiam suam explere hac ratione posse confiderent, iampridem incitati odio Christiani nominis monumenta omnia euertissent, atq; delessent. Non domesticũ consilium, sed externa cupiditas rebus illis profuit, & prodest. Cuncta sanctitatis loca obsident, quę religione ignota, quęstu cognita habent: his veluti harpagonibus ad extrahẽdas pecunias adhęrescunt. Memini narrare mihi familiarem meum: Quũ peregrinatione (inquit) suscepta hierosolymam venissem, & cuperem magnopere atrium visere, quo, imminẽte crucis fato, Christus cum discipulis postremũ accubuisset, Arabicæ linguæ gnarus conuenio eum, cui eius rei custodia fuerat demandata, canescentem iam hominẽ summæ inter populares autoritatis, ut intromittat rogo: causatus ille occupationes reuerti iubet. Ego morę ęger vehementius vrgeo, polliceor pecuniam ampliorem quàm quantũ a reliquis exigere cõsueuerat, tum permotus hostia

reserari

reserari iubet: interim ut illuderet, quomodo (inquit) loca ista, quæ nullis laudibus veho, quin potius paruipẽdo ac negligo, lucro mihi sunt, tibi, qui cõspectũ istũ tanti facis, damno. Et lucrũ mihi (inquam) erit, si insspexero, & tibi fuerit, si inspici permiseris. An tu oculis (inquit) quęstũ facis? quid tu id inquiris (aio) qui pecuniam oculis cariorẽ habes? His de causis magnis atq; grauibus bella hæc ferrea, quę Christiani mutuis peragunt detrimentis, aduersus iustum, & legitimũ hostem transmittenda putarem. Turpe est videre vnius corporis duas acies confligentes, & se inuicem cædibus, & vulneribus insequentes: contra pulchrũ aduersus infideliũ arrogantiam vna ex parte cruciferos consistere. Illic rabies, & furor indomitas exercere mẽtes: hic virtus pectora fortium virorũ incendere videtur. Illo Marte ciuili vnà cũ corporibus animæ sæpissimè intereunt: at pro Euangelio nex gloriosa, quæ sub oculis obita diuini fauoris, quos terris surripuit milites, martyres cœlo reponit, fluctibúsq; mortalis vitæ eiectos in quietam æternitatis stationem educit: deniq; quantum in vno bellorũ genere sceleris, tantum in altero salutis, ut nihil æquè conueniat, quàm ut nunc salutaria arma capiant, qui quõdam scelerata induerunt. Quòd si bellum aliquod graue & difficile suaderem, tamẽ enitendum esset, nec quicquam laboris, & periculi pro fide tollenda atq; exaugenda deprecandum censerem. Duris quõdam Ecclesiæ tẽporibus, dum Reges, & populi, nationes deniq; omnes armis innixæ Christi fidem perdere cuperent, quod facile tunc factu videbatur propter paucitatem credentium, & paupertatem, restiterunt qui tunc erant Christiani, & bello illo, quod tantum vna ex parte gerebatur, fortiter tolerato superarunt: proprium huius religionis semper fuit, quod ab eius exortu princeps ipse Christus ostendit, pro veritate supplicia perferre, & euangelio ipso profuso sanguine testificari, nunc autem non eculeos, non cruces, non lampades, non vncos, non bestias, non sartagines, non vngulas, non

alia his

alia his duriora tormenta vobis propono, quæ nostri quondam fortiter pertulerunt, sed armatis armatos obiicio: ferrum hinc etiam erit, & aduersus alia humana corpora vobis decertabitur, & quomodo non mirandum sit, si bellicosissimarum prouinciarum alumni Christum sequentes trepidabunt cum imbelli grege arma collaturi? At infinitam cogere classem Turcarum tyrannus potest, pedestrium, & equestrium copiarum quãtum velit comparare. quid tum? num ista multitudine hominum, an virtute virorum diudicanda sunt? non enim ut in suffragiis, sic & in prælíis numerus spectari solet. Video Turcas equites more iam antiquitus tradito fugientes aduersus sequentem hostem spicula dirigere: hos Gallicus equitatus & equorum ferocia, & armorum tegmine fultus extimescet? Illi sagittis eminus ad feriendum, nostri hastis cominus ad exanimandum: illi equis auersis ad fugam, nostri conuersis ad impetum vtuntur. An illis callidiora Ducum ingenia? disciplina rei bellicæ perfectior? vberior ferri vis? robora corporum firmiora? studium pugnandi maius? nam populi qui ad septentrionem colunt in frigidioribus locis, & asperis, & montosis positi, duritiæ, & labori student, non facili vtuntur agricultura, sed illis cum arido, ac pestilenti penè agro quotannis luctari necesse est: præcipuum iuuentutis studium obiectos montes cursu incitato scandere, flumina mediis frigoribus nando superare, venabulis feras insequi, hos, & illos saltus lustrare, non periculum, non cœli inclementiam verentur, vbi se bene egestate & patientia rerum omnium durarunt, de finitimis prædas tollere, ac summum militiæ honorem habere incipiunt, nec vllum ferè intercedit tempus, quin aut bella inferant, aut illata defendant. Itaq; in Germanis finitimi lætum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirantur. Nec verò istis Itali virium robore, magnitudine animi, virtute, aut audacia concedunt, prudentia etiam præceptisq; bellandi superiores. Quid de Hispanis dicam?

quorum & astus, & agilitas, & inopiæ tolerantia nullibi libentius, quã in armis conquiescit, sine qbus vitam insuauẽ arbitrantur. Confer nunc Asiaticas nationes, quas segnities, atque ocium voluptatibus inuoluit. Asia enim beatissima rerũ omnium vbertate redundat, illarum præcipuè, quæ ad corrumpendos animos, effœminandáque corpora spectant, hinc mollíore viri cultu vtuntur, hinc ferrũ oderunt auro capti, quo abundãt: hinc in summa rerum affluentia nati, atque educati, pericula adire formidant, longiorémque laboris moram corpora inexcercitata recusant, nec mirum, ducuntur enim earum rerum consuetudine, quæ voluptatem oculorũ, narium, palati incendunt, quas etiam ex illis terris ad nos sæpissimè importari videmus. Itaque (ut veteres historiæ loquuntur) Romanorum exercitus ferro, & virtute florentes nunque inconditã illarum nationũ multitudinem perhorruere, quin omni loco pugnarent, omni tẽpore paratam & expéditam victoriam referrent: facile Romani milites cauentes ne aberrarent, aduersa Asianorũ corpora gladiis absumebant: nec sibi ob id multum tribuebant, quũ aduersus pueros, & mulierculas incurrisse viderentur: nunque cum esset belligerandũ cum talibus, quot essent, sed vbi essent, percunctabantur. Nec alia ratione Athenienses Xerxem decies contenta hominũ millia secundũ Gręcię terras trahentem parua masculorũ militum manu superarunt: aut alia Alexandro Duce Macedonũ copiæ sibi ipsis confisæ propter vetustatem Darium infinito iuuenũ examine circumcinctum fregerunt, ac prædę habuerunt. Hæc magna dicerem, nisi qđ nemini dubium relinquebatur, quin velocitatem vires, pauorem audacia, ignauiam obterreret virtus: nec enim tanti est ferrum telo adactum armasse veneno, pennísque eidem datis volucrem fecisse mortẽ, vt non gladium magi strepidaret imbellis hostis in eius viscera Romana, Græcáque manu cominus districtũ. Sed ut vetera iam mittam, factum huius hostis periculum nouissimis temporibus, quem innumerabilibus volitãtem copijs, qua

Hister mare influit, modicæ fortunæ Reges strauerunt, per culerunt, auerterunt. Hic qui nunc tantum pollere dicitur potentia Turcarum supremus Princeps delectorum virorum millia conficere poterit quinquaginta, aut ad summum sexaginta. Quorum maior pars eorum erit, qui in fide nati a Christo se abdicarunt, neq; ij tamen aut vsu bellandi, aut armorum genere, aut robore militari nostris erunt conferendi. Cætera confluet pastorum, atq; agrestium inornata multitudo, sudibus minax, pedibus fidens, quæ quo latius numero protendetur, malignius circunducetur, magis, magisq; in dies ab re frumentaria premetur. Reliquum est diuitiarum apparatus, quo fortasse ornabitur illorum militia, sed cui esse potest ille formidolosus, quum nullo vsui sit in prælio, & existimandum sit hæc fortunæ bona non esse illorum, sed illos ea victoribus parauisse: habent isti quod vnus quisq; optare debet hostibus suis, diuitias scilicet maximas cum maxima ignauia. Hoc ita se habere declarauit olim ille populus Romanus omnium gentium victor, qui fundamentum & causam Imperii sui habuit paupertatem, diuitias apud victos inuenit. Cur igitur quum præstemus in bellorum ratione omnibus rebus, fuimus hactenus hostibus potius lucro, quàm decori nobis? Id cuiuis mirari primum licet: sed perspectis mox causis mirari desinemus: Quemadmodum enim si in pugilum certamine, vel in gladiatoria multorum hominum pugna imbecillissima pars vinceret firmiorem, omnes id dicerent propterea contigisse, quòd strenui fortesq; viri neglexerunt se ipsos, nec mutuum animorum ardorem sibi vndiq; consentientem ad pugnam attulerunt: sic nos infinito odio nobis ipsis inuicem diffidentes, dum communem causam deserimus, vel negligentius iuuamus, victorem fecimus hostem. An non sic olim Thraciam, Macedoniam, Phocidem, Eubœam, Lemnon, Achaiam, Myssiam, Bœotiam, Peloponessum, cunctã deniq; Græciã Turcæ ceperunt bello oppidatim circũlato?

dum non maiori ſtudio laboratum tunc fuit a noſtris, vt prę ſidia laborantibus ſubmitterent, quã nunc ne Rhodus caperetur, quã ſummo ocio expugnatam ſcitis nemine iſtinc ſe cõmouente, & auxilium ferente: non enim vno belli impetu illa omnia aceruatim nobis perierunt, ſed aliud huius nunc imperantis abauus, aliud proauus, aliud auus, aliud pater, aliud ipſe cepit, ſic multa regna in vnum congeſta ſunt regnum. Hactenus mihi videntur Turcarũ tyranni magna fœlicitate præſtitiſſe, quòd quũ in finitimos impetum facerent, collectitiis copiis, libidine dominandi, optabant reliquos Chriſtianos ſegnitie inuolui, vel ob mutuas diſcordias ſibi ipſis inuicẽ negocia exhibere: ſic enim rem ſuccedere poſſe, non ſi aliqua pars Chriſtiani nominis contraria ſigna inferret. hæc vota valuiſſe ſpe magis ipſorum ſummæ eorum fœlicitati aſcribo, ſi tamen vlla infidelibus eſſe poteſt fœlicitas, quæ ut vana ſint, & irrita vota, ſi præteritorum pudet, & futura timetis, efficite. Tantam nunc præſtate diligentiam in parando bello, atq; gerendo, quanta ſuperiorum temporũ negligentia fuit, idq; ſatis erit. Si victi eſſemus, quia conſilio impares, vel quia corporibus imbecilliores, vel propter armorum, & equorum inopiam, deſperandum eſſet, etiam ſi nunc acerrimè certare placeret, quicq; poſſe proficere: quis enim hominũ hæc naturæ vitia emendauerit? at negligentiã, quam in Turcicis bellis hactenus adhibuimus, nos iidem, qui creauimus, auferre poſſumus. Itaq; ſi nunc collatis viribus omni mentis ardore dimicare ſtatueritis, audeo dicere qđ peius eſt hoſti qđ ſic vicerit, quã nobis, qui victi ſumus: nam in nobis eſt eripere hoſti diſcordias mutuas, & neglĩgẽtias noſtras, ſumma illorũ præſidia, & victoriæ ſuæ cauſam. at non in illis eſt auferre Chriſtianæ genti firmitatem corporis, animi robur, diſciplinã bellicam, religionis ardorem, & alia plura, quæ in acie inuictos viros præſtare ſolent. Reſtat igitur, ut bellum maximè cupiamus omnes, & in id toto (ut dicitur) pectore incũbamus, quando reliqua nõ deſunt.

Videmus

Videmus in diuitiis possidere eos plurimum, qui solicito animo rei vndiq; augendæ intenti sunt, non sumptibus, non laboribus, non vigiliis parcentes. At in bello ne diligentia quidem semper potest omnia, quia incerta nonnunq; & inopinata incidunt quædam, quæ rem bene institutã prouisámq; euertant, ideo sapientibus etiam & solertibus viris fortunæ vis semper metuenda est. Vbi autem negligendo quippiam omittitur, vix est ut non clades suscipiatur: nec fortunã tunc accusare licet. Itaq; quid mirũ, si quando aduersus hunc hostem bellum non satis instruximus pro dignitate, inferiores fuimus, nunc vnam, nunc aliam regionem amittentes? quũ etiam quando præstabimus omnia, quæ humana diligentia præstare potest, non parum fuerit, si nullus fortuitus casus paratam victoriam interpellarit. Illud quidem certo certius est non posse nos quicquã hosti eripere iisdem artibus vtentes, quibus nihil eorum quæsiuimus, sed amisimus. Dicebã modò transcendẽdum in terram sanctam ab nostris fore, ut alienigenis illinc demigrare coactis hanc ipsi fidei cultores potius haberent, quoniã ad nullos ea magis pertineret. Hæc enim quondam sola veram dei cognitionem retinuit, postea verò quã Christus aduenit Euangelio iam cõdito, clarissimę religionis iura cæteris ꝓuinciis ministrauit. In hac regione primus hominũ Adam locatus terram, de qua sumptus fuerat, exercuit. hæc sanctos viros vtroq; testamento protulit, Patriarchas, Iudices, Reges, Duces, Prophetas, Sacerdotes Apostolos, Martyres, Virgines, & reliqua eiusmodi sanctitatis mẽbra. hic Deus conspectui, & colloquio mortaliũ sæpius numẽ suũ exhibuit. his oris carne indui, his viuens vitã oĩum erudire, his occasu suo animarũ regna liberare voluit. Causæ iustissimę cur tota respub. Christiana illò properare debeat, & sibi regionem illam vendicare. Verùm nonnulli nondum persuasi superiore oratione, sed adhuc mussantes dicant forsitan, nouum consilium: qua fiducia virium per tot terras, tot maria, tot populos, per infesta, inimicáq; omnia

mediam Hierosolymã petemus? Me miserum si exemplis potius stamus, quàm honestatem factorum spectemus. Sed tamen habendæ maioribus gratiæ, qui segnitiem posterorum nouo virtutis suæ exemplo cõmouere potuerunt. Illi nanque ostẽdentes nobis, in quam orbis partem, & aduersus quos potissimum deceat arma ferre, non multis antea sęculis aduentitiis auxiliis, & conuenis copiis, administrantibus regulis quibusdã in terram sanctam ingressi. qua audacia? quam illis religionis ardor tribuebat. quorum viribus? ferri & armorum, non pennis elati. nullis ne obstantibus? imo obuiis maximis hostium exercitibus, quos collatis signis variis locis profligarunt. quot manibus (oro te) prædití mortales illi? totidem quot nos habemus. Vt autẽ hęc gesta sunt paucis aperire conabor. Constat nanque Vrbano secũdo Pontifice Maximo Gottifredum, Eustachium, & Baldouinum fratres cognomine bolioneos Galatiæ Principes, Vgonem magnum Philippi Francorum regis fratrem, Duos Robertos, quorum alteri Normandia, alteri Flandria parebat, nec non alios quosdam insignes Italici nominis viros consilium hierosolymæ recuperandæ eodem Pontifice autore cepisse, quæ multis antea sęculis Heraclio imperante fuerat amissa; atque ea de causa coacto exercitu, quũ Constantinopolim cõmunẽ belli sedem diuersis itineribus petissent, tãdem transmisso Thracio Bosphoro, Niceã, Iconiũ, Heracleã, Tarsum Edessã, Manustrã, Ciliciã totam, Rusam, Cæsareã, Antiochiã, pluresque alias vrbes partim vi & manu ceperũt, partim metu ad deditionẽ cõpulerunt, sępius interim acie cũ hostibus conflixere, & prælia multa facta. Inter cætera verò quũ Nicea capta exercitus noster per deserta loca iter faceret, & milites forte herbidũ nacti solũ recreare se a labore instituissẽt, obuius fit his Solimanus Babilonicę Rex cũ innumerabili Medorum, Turcarum, Syrorum, Caldæorum, Saracenorum, Arabum manu: in quos nostri quãuis de via fessi, effrenatius tamen impetũ fecerũt, tanque pugnãdo nõ de sua, sed de aliorum quorũdã vita

periclitarentur, & eo quidē die quadraginta hostium millia ceciderunt, reliquos effusa fuga se ipsos auferre coëgerunt Illud etiam insigne prælium fuit, quod cum Corbane Persarū Regis duce, & Sensadolo Cassiani Antiochiæ regis filio gestum fuit. Antiochiam grauem & validam vrbem magnis operibus diu oppugnatam noster exercitus ceperat, & eius vrbis arcem expugnare nitebatur, quum interim affuere hi duo duces, quos modo memoraui, cum duobus validissimis exercitibus recuperandæ Antiochiæ gratia: & quia animaduerterent nr̄os rerum oīum penuria premi, montibus se tenebant, nec elici vlla conditione ad certamen poterant. Quid? num putamus tum Christianos milites se ipsos subduxisse, & ab incæpto destitisse? nihil verò minus. nō illos perterruit viros hostium numerus, si numerari tamē poterant, non vis auri, & argenti, nō reliquorū bonorū copia, quibus alii abundabant: sed plura sibi, quā illis adesse arbitrabātur, si magnitudine animi pollerent, & fidei ardore pugnarent. nec huius sententiæ dignitate aliena gesserunt, sed opere ipso ostenderunt nihil tantū esse in terris, qđ virtuti & religioni obsistere possit. Forte fortuna lancea illa, quæ nudum Christi latus aperuit, Antiochię in Diui Andreæ tēplo inuenta nuper fuerat: hac illi prælata, tanq̄ optimū sequentes Ducē aduersus loca ab hostibus obsessa, ardua licet & difficilia, scandunt, & hostes quidē acriter primū resistentes sternunt, mox cedentes insequuntur, tandē fundunt, fugántq;, & dare terga compellunt, & tanta cædes facta, ut centum hominū millia ferro absumpta memorię proditū sit: quindecim pręterea Camelorū millia in castris capta, & tanta præda auecta, ut ab extrema inopia ad summā rerum oīum vbertatē peruenerint. hæc splendidè, & gloriosè gesta negabimus? his inuitati exēplis ne sic quidē sequemur? Quid referam qua virtute, quo ardore animi hierosolymā receperint? ad quam his victoriis gradum sibi fecerant. Erat vrbs oppugnatu difficilis, ut quę in arduo monte sita foret, & pluribus vallibus cingeretur,

adeo ut nisi influente magna hominũ multitudine obsideri vndiq; non posset. aquandi ingens erat penuria, nam solus Siloë montem Sion radens subiacẽtem Iosaphat vallem intersecat, tenuis semper amnis, & per æstatem sæpius nullus. Validũ præterea intus Saracenorum præsidium: attamen tam ptinax fuit oppugnatio, tam pręsens animus nrorum militum, tanq; sub oculis Christi fierent quę in conspectu sanctorum locorum gerebant, ut vndeq̃dragesimo die vrbẽ caperent maxima edita cęde, adeo ut interfectorũ cruor pugnantiũ talos supuaderet. Paucis post diebus, quã bellicus ille arbor resedisset, & sanctæ crucis loca dominiq; sepulchrũ adorassent, & illarum rerum intuitu se ipsos explessent, Gottifredus vno omnium consensu hierosolymę Rex declaratur. Qui deinceps, & quantus ille dies fuit, quo Gottifredus regio comitatu vrbem ingrediẽs regni ad se delati imperium suscepit? quum illo facto ostenderetur terrã illam religionis alumnã, & omnibus sanctitatis vestigiis impressam fidelium ditioni redditam. Credo humano ore proferri vix posse eorum lætitiam, quorum opera, & labore is dies inuectus fuerat, quando reliqui Christiani omnes per varias orbis terrarum partes fusi, qui fama tantũmodo & auditione de his acceperant, in immensum gratularentur inuicem, & prostrati vndiq; gratias Deo agerent, qđ eum diem populo suo dedisset. At quãtis idem dies oratorum præconiis elatus? quibus annaliũ monumentis in posteritatis noticiam missus? quot poëtarum carminibus celebratus? & eò studiosius, qđ eundem illum diem Gottifredus memorabili facto adhuc magis exornarat: nã quum ei ad vrbis portas aurea corona fuisset oblata, qua regio more vteretur, negauit se vti dicens, non decere qua in vrbe regum rex pro se, & omni gente sentibus grauem coronam tulisset per ludibrium eius capiti impressam, ipse auream ferret. Nec verò dici potest illos hoc belli decus quæsiuisse tantummodo, quæsitum tueri nequiuisse: quoniam post illa innumerabiles hostiũ copias parua manu fuderunt,

oppidisq́, & agris hierosolymæ regnũ auxere: demum quã summa belli virtute ceperant sanctã regionem, hanc centũ prope per annos circũfusis vndiq́ hostibus tenuerunt, Saracenos decedere coëgerunt, vel si qui permanserant, oportebat eos parere nobis, sicut æquũ erat impios fidelib9. Factũ deinde sæpius imperitia & imprudentia ducum nostrorũ, vt periti illi & prudentes haberentur, vsi etiã occasione discordiarũ nostrarũ multa imperio suo addiderunt, regna, prouincias, nationes occuparunt tacentibus nobis, atq; adeo penè tradẽtibus. Nam quantũ eorum pateat imperiũ, ex eo facile intelligi potest, qđ Asiam ferè omnem possident, quæ totius orbis ad numerum partium tertia dicitur, ad magnitudinẽ dimidia inuenitur, transcensis etiam Asiæ limitibus magnã Europæ partem ditionis suæ fecerunt: demum Constantinopoli non multo ante capta res suas cœlo penè æquarunt, ac ne parto quidem saturi vrgent quotidie, instant, lacessunt: & nunc insulas totas, nunc in continente regionem aliquam, aut præclaram vrbem, aut munitissima castella intercipiunt. Hortantur nos igitur ipsa pericula, ut periculis occurramus. Quemadmodum enim rapidissima flumina violento aquarum vortice riparum semper aliquid auferũt: sic illi semper aliquid in confinio positum aggrediuntur, & sibi acquirunt, quasi indignentur fines habere. Hæc non turpia modò, sed etiam grauia perpeti nos posse quis credat, nisi videat? adde quòd mare etiam infestum nunc latrociniis fecerunt, littoreas oras incursationibus creberrimis euastant, cuncta obuia ferro flammáq́ populantur, multos mortales cædunt, alios abigunt in seruitutem, & meliore quidem conditione cum his agitur, qui ferro statim necantur, quàm qui capti omnibus expositi contumeliis diuturnã quasi mortem perpetiuntur. Et laus quidem illis, si latiores imperii fines habere student: nobis quæ venia? non satis est vetera non recuperare, noua etiam amittimus. Videmus rapientibus assiduè illis, & ad se ducentibus angusto sinu Christiani

nominis claudi libertatem: videmus illorum audaciam impunitate alitam diuturna: quid expectandũ, nisi ut transmittentes illos in hasce oras, & in ipso Romanę ecclesiæ gremio belligerantes videamus? etiam ne hæc vate quodã indigent, quum res ita per se clarè loquatur? Pannonia olim vltra Danubium posita sustinebat fortiter illorũ impetum, nunc ille murus disiectus est: Rhodus opportunissima insula, quę a tergo classibus hostes vrgere poterat, armis nuper expugnata in illorum ditionem concessit, duo maxima propugnacula amissa, liber impetus in nos iam patet. Quòd si non hominis verbis, sed Angelo quopiam de cœlo nobis sonãte disceremus, quòd quiescentibus nobis pariter quiesceret hostis, nec nouis rebus manus admoliretur, indignum tamẽ sit religione vestra Christiani viri, indignum maiorum gloria, indignum Christi beneficiis sinere illum dominicam terram perpetua affligere seruitute: sed si quò plura ditioni nostræ eripuit, eò magis ad reliqua animum adiecit, & assiduè infestus est, & delere Christianum omne nomen gestit, postquã omnino belligerandum est, quis hanc bellicam putet ferociam, non audere in alienis finibus bellum gerere; sed intra suos gerẽdum expectare? semper timere ab hostibus, nunquã illis terrori esse? malle de Italiæ seruitute, quàm de terræ sanctæ libertate contendere? offerre se discrimini, non vtrum hierosolyma recuperanda, sed an Roma amittenda sit? quo modo ostendimus nos nequaquã inuitos cõmunem inspicere hostem, si nunquã e domo surgentes in illorum traiicimus solum? Est quidem virorũ fortium maxima quæquã semper & difficillima tractare, in his enim virtus elucet. At si nũc alienigena quispiam ita nos cõpellaret. Noli o Christi plebs tam assiduo bello aduersus Turcas contendere, periculũ iam factum est virtutis & fortunæ, militiam tam grauẽ, & tam diuturnã, & tam longè ab domo tolerare vix potes. Credo pudeat nos orationis huius, quando enim exiuimus armati aduersus illos? certè nõ meminimus, quid fieret, si tam multis

cõtumeliis

contumeliis nos quotidie non expeterent? nihilo magis quiesceremus, sed iustior tunc esset quietis excusatio: nunc ne ferarum quidem animis pares sumus, quæ irritatæ in vltionē acerbius feruntur. At non cessamus inter nos assiduis prælijs cōtendere: nulla pacis ratio, vel si pace cum quibusdam iungimur post diutinum bellum, id fit, ut alios quosdam bello premamus, qđ extremę esse dementiæ quis nō dixerit? bella gerere detestanda, quū liceat gloriosa? adire his in locis pericula pro paruo admodum lucro: quū in Asia facile possemus regiones, & integras gentes obtinere, & immēsas acquirere diuitias? Demū versari in his bellis, in quibus vix est, vt non peccemus, & perpetuam incurramus mortem, omisso & neglecto eo bello, in quo non modo non peccamus, verū etiam vetera peccata obliteramus. Maiores nostri relinquentes ciuitates suas, in quib⁹ vnusquisq; genitus fuerat, & educatus, sedem illam, vbi cōmunis salus parta est Christi sanguine, & de aduersariis potestatibus triumphatū, suam esse potius patriam ducentes, & molestè illam ferentes religionis hostibus seruire, asseruerunt ferro in libertatem, & illum terrarū orbem Christianis vexillis aperuerunt. Hæc laudanda, ut opinor, vobis videntur, nec male qđ laudanda, sed si laudanda tantūmodo, quasi nephas sit imitari, quū potius stultum sit gloriantem de maiorum gestis nihil illis simile videri peregisse. Quid enim laboris, periculi, operis recusarunt, quo incæpta perficerent? plurimi etiam eorum pro hac causa vitam amiserunt, seu potius inuenerunt: nō enim inter epulas, ebrietates, citharas, & obscænas alias fœditates magnæ res geruntur & laudabiles, sed huiusmodi rerū studiosos iuuenes melius domi retinebimus vnà cū mulierculis, quas imitantur: mihi nunc cum his non est sermo, sed cum grauibus, fortibus, & religiosis viris, & ut dico planè viris, quos non veneris, sed Martis oblectant prælia, qui in re gerēda non ad alios respicientes, sed labores assumentes necessarios, velint hos magis sibi esse cōmilitones, & horum præsidio putent

vincere, qui cogitent habere pro tecto cœlum, pro cubili humum, pro obsonio famem, pro potu prçterfluentis aquæ riuulum. Hæc & pleraq; alia his etiam grauiora & difficiliora quum subeant sçpius homines in venationibus ferç alicuius capiendæ gratia, cur non subeant promptius religionis studio concitati? Prouocabam vos nuper ad præclarum hoc opus maiorum vestrorum exemplis, & libenter quidem virtutis eorum mētionem faciebam. sed quid illos appello? superiore parentum nostrorū memoria Tartari & Armenii in vltimis orientis partibus positi aduersus Sultanum Ægypti maximis præliis sæpe contenderunt, ut regionē hanc sanctam de Saracenorum manu ablatam Fidelibus, qui digni erant possidere, redderent. maxima verò industria, & ingens fortitudo Cassani Tartarorum domini his in bellis enituit. Nos autē, qui veræ fidei cultu, & pietate erga Christum præstare illis opinamur, nihil tale aggredi cogitamus. Eya agite, adestote Christicolç cūcti animo, adestote & corporibus, inuigilate, & incūbite in causā, in qua & res, & gratia, & autoritas, & fama, & laus, postremò cœlū ipsum parietur. Obsecro, obtestórq; vos per diuinç misericordiæ viscera patefacta nobis. Aspicere potestis quibuscunq; in templis imaginem crucifixi in medio suspensam, nihil illic contemplor nō magnifaciendum: prima quidem veneratio debetur Deo, alia Iesu homini, qui salutis nostræ rationes susceperunt: tertium obtinēt autoritatis locum pœnarum vestigia, vltimus honos ipsi ligno. quæ mora hçc? quæ dilatio, quin quamprimum signa ista tam bene honorata per singulos quosq; gradus corda fidelium excitatura ad iter rapiātur? Quis enim ante oculos suos videns tantæ charitatis erecta vexilla, dubitet in vulnera & mediam incurrere mortem, vt Christo vitam rependat, quam ille antea pro se exuit? quis nolit pro eo effundere animam, a quo suscepit? quanquam non erit illud effundere, sed seruare: non occidere, sed superesse, recepturus scilicet pro breui vita perpetuam, pro militari im-

peratoriam, pro terrena cœlestem. Summatim autem vt dicam, non fortibus animus, non peritis ratio, non religiosis ardor, ne Christus quidem pugnæ autor & causa suis deerit militibus: ille etenim is est, quem totus orbis contremit, cuius potestati parent omnia, qui rectè vniuersa sibi vendicare potest, vel iure creationis, vel merito redemptionis, vel patris munere. Audiat ventura ætas, quas intulerint Christiano populo contumelias Maumethani, simúlque qualiter validè vlti illos manu fuerimus. Christiana bella, quæ fędè inuicem gessimus, vel hoc vno saltem profuerint, quòd per ea ferociores facti, & pugnarum magis periti, videbimur ad hoc bellum tum animis, tum corporibus venisse paratiores. Si ocio, & languori dediti omnino fuissemus, verendum forsitan esset, ne rari inuenirentur bellatores, cęteri ferrum, vulnera, mortem horrerent: non armorũ strepitum, non signorum cantum ferre possent. nunc e bellis ad meliora & salubriora transire bella, quis voce principum excitus recuset? Vereor autem, quia dico sępius Deum his prælijs nostris affuturum, ne imperitior subijciat aliquis: Quid? non poterat Deus vel nutu ipso Turcas delere? vel illis cultum sui nominis, verámque religionem inducere? denique illorum omnia nobis tradere sine vllis armis, aut vllo omnino nostrorum motu? poterat quidem ille, modò vellet. Sed non est illius prudentiæ causas rerum auferre, nec humanas actiones extraordinaria pręuenire potestate. Hæc ille nobis gerenda permittit, experturus quantum illum diligamus, quantíque faciamus: expectari se censet, non ab his, qui nihil agunt, sed qui manu certant, & periclitantur. Et meretur quidem industria adiuuari diuino fauore, sicut ignauia deseri, quæ tantummodo vota facere nouit. Equidem non alia ratione magis hoc bellum suadeo, quàm quòd vellem mentium nostrararum pietatem non inertem facere, sed opere ipso ostendi atque proferri. Quòd si rem per se ipsum conficiat Deus, quod nostrum promeritum? quæ

pręmij

præmii spes? quid si (quoniam nõ solet ille sine hominũ ministeriis humana gubernare) ad hæc alios vocet quosdam nobis præteritis? statuerit, ignauiam hactenus cernens nostram, armatam pubem e terræ glebis educere subitò, quæ illi hoc bellum conficeret (posset enim, si vellet, id quoq; facere, & olim tale quid actum fuisse poëtarũ fabulę enarrant) quo tandem animo suscipiendum id foret? At nõ oporteret tunc, si non nudo tantum nomine Christiani essemus, deprecari hanc eius voluntatem, ne dicam iram? nobisq; prouinciam istam summis precibus deposcere? quòd si non impetraremus pessimè nobiscum actum arbitrari, quod tam nobilem, támq; piam materiam elaborandam aliis delegasset? Quum autem res adhuc sit in integro, quid cunctamur? an quia gẽtem nouam galeatam statim, atq; loricatam alicunde exorituram non credimus, quæ hoc præripere decus possit? At crẽdere possumus qđ posteritas nostra, quę adhuc latet, inclitum id negocium negligentia horum temporũ prætermissum forsitan aggredietur. Posteros igitur nr̃os prœoccupare conuenit, dum adhuc sumus, illi non sunt, tempore nos vocamur, illi nondũ vocantur: qui si exempla inertiæ a nobis suscipientes, ipsi hoc opus edãt pietatis, dedecore nostro fient gloriosiores. Sed ne forsitan cogitet quispiã omnia copiis militum & gladiis peragenda, ipsa per se plurima conficiet veritas, quæ signa nostra cõcomitabitur: nam hæc, vbi positis armis nudo sermone congrediemur, suis neruis atq; lacertis falsitatem collidet. quid enim? vbi liberè prædicabitur Euangelium, nihil proficiet disseminatum illis terris id dogma, quod olim & latè dominantium opes, & acutè dissentium ingenia, & ornatè dicentium linguas prostrauit, & fidei iugo subiecit? Imo verò maxima fiet ad nos multitudinis conuersio, & falsę religionis leges latè deferẽtur. Et mihi quidẽ iam finis dicendi adest, vobis autem initium agendi: si enim verba actionis vicem sustinere possent, iam diu hic hostis debitas sibi pœnas dedisset. Scio enim qđ multis iam

sęculis

sęculis lingua & sentētia aduersus illum acriter pręliamur, atq; in his sermonibus versantur hi etiam, quorum non sermones tantum extare oporteret. At Turcę, quos vt bonarum artium ignaros contemnimus, sapientia præstant nobis, vt videtur, qui cum vidissent finem esse agendarum rerum nō dicere, sed agere, quúmq; cognouissent actiones plus verbis ab omnibus honorari, & magis in rem esse, has sumpserunt, verba nobis reliquerunt. Non frustra igitur ita illi se habent, nec nos etiam frustra, sed accidit quiddam valde, vt opinor, consentaneum, & naturale, ut quo vtriq; delectantur, in eo prouentus accedat in dies maior. Illi rebus studentes res etiam auctiores faciunt suas, & longius assiduè promouent, nos verbis intenti assequimur, ut plura de illorum iniuriis quotidie verba facere possimus, & iustiora in dies minitari, si modò istis expleri satis est, nec aliud quęrendum videtur magis. Sed hæc omittens de me dicam. Ego si vos idest Christianum populum verborum tantummodo cupidos existimaui, hánceq; cupiditatem ut explerem, verba feci, me ipsum stultitiæ condemno, nec vobis honorē vllum habui, si tales credidi. Sin autem inflare hanc orationem volui, ut populum hunc tanq; generosum equū incenderem ad prælium verborum crepitu, & tanq; tubæ ferreo cantu, quomodo non iustè alios magis, quā me vituperabunt homines, si mox nihil è dignitate dictorum geretur? plura prætermissa sunt, plura etiā omissa, ne vos tædio afficerem: quanq; si nunc etiam finiam, arguent nonnulli me longiorē fuisse in dicendo: quorum tamē sententiæ non accedo. Equidem fateor orationem meam, si breuiori alteri comparetur, longiorē videri posse: sed si ad magnitudinem rei, de qua agitur, referatur, existimo esse mediocrem. Sed & illud cōsiderare pariter oportet, quòd natura sermo institutus fuit, ut inuicem doceremus quę scire putamus, & eo magis præstantior sermo, quo innotescere melius rē facit: quamobrē si quispiā ostēdat se vel alium quemuis hac de re dilucidius docere posse paucioribus verbis, me ipsum nimiæ

nimię prolixitatis condemnabo,sin autem id omittens multitudinem tantũmodo verboꝶ, & moram tẽporis proferat in medium, nullius certi criminis accusationem instituit, si accusat quod ego diutius dicere valeam,& vos audire, quũ id fieri vtiliter potuerit,& non nimis patienter,cupientibus vtrisqꝫ omnia planius edoceri. Sed quid refert hęc commemorari? non illud metuo si longo vsus dicar sermone, sed si breuissimo,quia vos non suadebo.efficiet inquam hic populus,efficiet,non transferens se ad res gerendas,ut nihil etiam dixisse videar:liceat tamen inaniter sonare:nam mihi satisfecero, si quod in me situm est, id communi non deerit saluti, neqꝫ enim postulare possumus a præcone aliud præter vocem, neqꝫ ab oratore quicquam præter verba salutis plena, quæ vbi in populum effudit, & molestè fert negligenter suscipi, non dolet verba sua amissa esse, quorum leuis est impensa, sed communis vtilitatis nõ habitam rationem, quam verbis suis ostendebat. Oratio mea vilis iure habebitur,vbi res gesta fuerit, tunc enim nihil opus fuerit: interim quouis digna pretio, si eam,ut decet, suscipitis: sin irridetis,vel con temnitis, ipsa per se splendore rerum, ad quas cohortatur, dignitatem suam tuebitur. Ego igitur veluti de loco superiore clamo. Conuoco omnes ex omnibus Europæ partibꝰ, & monendo exhortandóqꝫ,ac tantum manu non iniecta,id bellum Orientis compello:& eò magis, quòd nũc ut diuino instinctus spiritu videor augustiora quædam efflare posse. Nam si aduersus hunc hostem multarum victoriaꝶ fiducia subnixum cõcordes animos,coniunctáqꝫ tela Christiani tulerimus,fallor, an vero vaticinor Maumethi,Maumethísqꝫ ancillatoribus ingens excidiũ imminere? Videor iam videre quacunqꝫ crucis signa inferantur, infidelium agmina aliàs cõcidere,aliàs conuersa campis cedere. Intueor ab afflictionis iugo liberari vrbes, diuitum exercituum spoliis templa ornari,animarúmqꝫ multarum ad fidem redeuntium sospitate trahi Christo triumphum grauem. Iam sui iuris Gręcia

omnibus

omnibus supplex aris Christiana libertate exultat, iam Telluris sanctæ sanctissima loca suos agminatim veniẽtes agnoscunt. Iam reliquiæ sacratissimorum mysteriorum illic iniustæ propalam inter psallentium carmina nullo premente coluntur. Tandem discusso iam nimbo reddita illis terris serenitas, hominésque fideles illic incolentes, qui tanquam flores pluuia grauati demiserant caput, ad nouæ lucis radios erigũtur. O qui tunc illucescent dies Christianæ genti? quę se proferent aurea tempora? Ecquis regum erit, qui ad hęc peragenda princeps consurgat, quem deinceps cęteri causam & hominem probantes consequantur? Ille quisquis fuerit, inter cęteros reges veluti siderea lampas Christiano in orbe enitescet. Quantus erit ille titulus? qui oculorum coniectus eum sequetur? qui religionis sanctissimę, & verę fidei propagator, & cõmunis iniurię vltor esse dicetur. Hęc vbi euenerint (quę ut quamprimum eueniant precor) cum dignitatem temporum, fidelium lætitiam, gestorum magnificentiam celebrabo, tum diuinam bonitatem vberius effusam gratiis agendis flexæ mentis genibus venerabor.

FINIS.

PAPIÆ.
APVD FRANCISCVM
MOSCHENIVM.

M. D. LII.

ERRATA	SIC CORRIGITO	PAG.		LIN.
ſcilicet	ſed	8	B	6
ſunt	ſine	8	B	12
gratiæ	gratia	10	A	21
Valla Vlpianum	Valla penes Vlpianum	13	B	11
hic	his	17	A	10
neſcio quod	quid	23	A	21
quidam	quidem	24	A	4
eũ qui id feciſſet	quicunq; id faceret	24	B	34
fuerunt	ferunt	26	A	26
ſuorum ingeniorũ	illorum ingenij	27	A	31
& qui vincentur	& q vincēt & q vincētur	27	B	22
ad vltimis	ab vltimis	31	A	27
indicauit	iudicauit	33	A	2
loquar	loquor	34	B	18
hominibus	honoribus	36	A	12
huc	hinc	37	A	4
afferet	affert	37	B	4
putat	parat	38	A	32
affluit	effluit	41	B	33
mendantur	commendantur	47	A	9
addixiſſe	adduxiſſe	47	A	10
ſapiterque	ſapienterq;	48	A	18
proferet	proferret	49	A	1
reperitis	reperietis	50	B	25
ciues	ciuem	57	B	4
illic	illuc	62	B	9
timuiſſe	tenuiſſe	63	B	11
opinio noſtra	opinio veſtra	64	B	11
contenderint	contenderent	66	A	16

A, primam partem paginæ. B, ſecundam ſignificat.

Reliqui errores, quos unuſquiſq; facile dignoſcere poteſt, prætermittuntur.